




J. N. Funck, C.  
A. M. 1751.

Abc. 12.



# SYMBOLÆ LITERARIÆ

AD  
INCREMENTUM  
SCIENTIARUM OMNE GENUS

A  
VARIIS AMICE COLLATÆ.

TOMI TERTII

PARS IV.



---

B R E M Æ

Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.

Anno MDCCXLIX.

SYMBOLAE

LITTERARIAE

AD

INCREMENTUM

SCIENTIARUM OMNIVM

A

VARIIS AMICE COLLATIS

TOMI TERTII

PARS IV




LEIPZIG

VERLAG VON WILHELM REIMER

1844





)C(



SVMMA RERV  
PARTIS QVARTÆ  
TOMI TERTII.

- I. JO. GEORGII MICHAELIS EXERCITATIO PHILOLOGICA, DE JVDÆORVM SYNAGOGIS PROPE SEPVL CRA. p. 599.  
-638.

\* \*  
\*\* \*  
\*\* \*  
\*

- II. JOH. NICOLAI FVNCCII, *Marburgensis*, DE VETERVM ROMANORVM, PER FILIVM DEI JVRANDI CONSVETV DINE, DISSERTATIO. p. 639-675.

\* \*  
\*\* \*  
\*\* \*  
\*

- III. JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII EXPOSIT. CAP. XVI. LVCÆ, seu parabolarum duarum, unius de villi-



)0(



villico injusto, alterius de epulone  
divite cuticulam curante; SECTIO III.  
QVA PARABOLA DE DIVITE EPVLONE  
EDISSERITVR. p. 675 - 713.

\* \*  
\*\* \*  
\*\* \*  
\*

IV. JOHANNIS RODOLPHI GRVNERI,  
*V. D. M. Helveto - Bernatis*, DISQVISI-  
TIO DE CORNVBVS ARÆ, IN TABER-  
NACVLO AC TEMPLO DLO O. M. SACRÆ,  
eorumque ratione ac mysterio. P.  
714. - 802.

\* \*  
\*\* \*  
\*\* \*  
\*

V. INDICES IN INTEGRVM TOMVM TER-  
TIVM.



III. JOHANNIS CHRISTOPHORI HA-  
KENROTHI, PARABOLARVM DAVVID,  
VILlici, EPVLONE, ET  
DIVITIS CUTICVLA.



112  
 113  
 114  
 115  
 116  
 117  
 118  
 119  
 120  
 121  
 122  
 123  
 124  
 125  
 126  
 127  
 128  
 129  
 130  
 131  
 132  
 133  
 134  
 135  
 136  
 137  
 138  
 139  
 140  
 141  
 142  
 143  
 144  
 145  
 146  
 147  
 148  
 149  
 150  
 151  
 152  
 153  
 154  
 155  
 156  
 157  
 158  
 159  
 160  
 161  
 162  
 163  
 164  
 165  
 166  
 167  
 168  
 169  
 170  
 171  
 172  
 173  
 174  
 175  
 176  
 177  
 178  
 179  
 180  
 181  
 182  
 183  
 184  
 185  
 186  
 187  
 188  
 189  
 190  
 191  
 192  
 193  
 194  
 195  
 196  
 197  
 198  
 199  
 200  
 201  
 202  
 203  
 204  
 205  
 206  
 207  
 208  
 209  
 210  
 211  
 212  
 213  
 214  
 215  
 216  
 217  
 218  
 219  
 220  
 221  
 222  
 223  
 224  
 225  
 226  
 227  
 228  
 229  
 230  
 231  
 232  
 233  
 234  
 235  
 236  
 237  
 238  
 239  
 240  
 241  
 242  
 243  
 244  
 245  
 246  
 247  
 248  
 249  
 250  
 251  
 252  
 253  
 254  
 255  
 256  
 257  
 258  
 259  
 260  
 261  
 262  
 263  
 264  
 265  
 266  
 267  
 268  
 269  
 270  
 271  
 272  
 273  
 274  
 275  
 276  
 277  
 278  
 279  
 280  
 281  
 282  
 283  
 284  
 285  
 286  
 287  
 288  
 289  
 290  
 291  
 292  
 293  
 294  
 295  
 296  
 297  
 298  
 299  
 300  
 301  
 302  
 303  
 304  
 305  
 306  
 307  
 308  
 309  
 310  
 311  
 312  
 313  
 314  
 315  
 316  
 317  
 318  
 319  
 320  
 321  
 322  
 323  
 324  
 325  
 326  
 327  
 328  
 329  
 330  
 331  
 332  
 333  
 334  
 335  
 336  
 337  
 338  
 339  
 340  
 341  
 342  
 343  
 344  
 345  
 346  
 347  
 348  
 349  
 350  
 351  
 352  
 353  
 354  
 355  
 356  
 357  
 358  
 359  
 360  
 361  
 362  
 363  
 364  
 365  
 366  
 367  
 368  
 369  
 370  
 371  
 372  
 373  
 374  
 375  
 376  
 377  
 378  
 379  
 380  
 381  
 382  
 383  
 384  
 385  
 386  
 387  
 388  
 389  
 390  
 391  
 392  
 393  
 394  
 395  
 396  
 397  
 398  
 399  
 400  
 401  
 402  
 403  
 404  
 405  
 406  
 407  
 408  
 409  
 410  
 411  
 412  
 413  
 414  
 415  
 416  
 417  
 418  
 419  
 420  
 421  
 422  
 423  
 424  
 425  
 426  
 427  
 428  
 429  
 430  
 431  
 432  
 433  
 434  
 435  
 436  
 437  
 438  
 439  
 440  
 441  
 442  
 443  
 444  
 445  
 446  
 447  
 448  
 449  
 450  
 451  
 452  
 453  
 454  
 455  
 456  
 457  
 458  
 459  
 460  
 461  
 462  
 463  
 464  
 465  
 466  
 467  
 468  
 469  
 470  
 471  
 472  
 473  
 474  
 475  
 476  
 477  
 478  
 479  
 480  
 481  
 482  
 483  
 484  
 485  
 486  
 487  
 488  
 489  
 490  
 491  
 492  
 493  
 494  
 495  
 496  
 497  
 498  
 499  
 500  
 501  
 502  
 503  
 504  
 505  
 506  
 507  
 508  
 509  
 510  
 511  
 512  
 513  
 514  
 515  
 516  
 517  
 518  
 519  
 520  
 521  
 522  
 523  
 524  
 525  
 526  
 527  
 528  
 529  
 530  
 531  
 532  
 533  
 534  
 535  
 536  
 537  
 538  
 539  
 540  
 541  
 542  
 543  
 544  
 545  
 546  
 547  
 548  
 549  
 550  
 551  
 552  
 553  
 554  
 555  
 556  
 557  
 558  
 559  
 560  
 561  
 562  
 563  
 564  
 565  
 566  
 567  
 568  
 569  
 570  
 571  
 572  
 573  
 574  
 575  
 576  
 577  
 578  
 579  
 580  
 581  
 582  
 583  
 584  
 585  
 586  
 587  
 588  
 589  
 590  
 591  
 592  
 593  
 594  
 595  
 596  
 597  
 598  
 599  
 600  
 601  
 602  
 603  
 604  
 605  
 606  
 607  
 608  
 609  
 610  
 611  
 612  
 613  
 614  
 615  
 616  
 617  
 618  
 619  
 620  
 621  
 622  
 623  
 624  
 625  
 626  
 627  
 628  
 629  
 630  
 631  
 632  
 633  
 634  
 635  
 636  
 637  
 638  
 639  
 640  
 641  
 642  
 643  
 644  
 645  
 646  
 647  
 648  
 649  
 650  
 651  
 652  
 653  
 654  
 655  
 656  
 657  
 658  
 659  
 660  
 661  
 662  
 663  
 664  
 665  
 666  
 667  
 668  
 669  
 670  
 671  
 672  
 673  
 674  
 675  
 676  
 677  
 678  
 679  
 680  
 681  
 682  
 683  
 684  
 685  
 686  
 687  
 688  
 689  
 690  
 691  
 692  
 693  
 694  
 695  
 696  
 697  
 698  
 699  
 700  
 701  
 702  
 703  
 704  
 705  
 706  
 707  
 708  
 709  
 710  
 711  
 712  
 713  
 714  
 715  
 716  
 717  
 718  
 719  
 720  
 721  
 722  
 723  
 724  
 725  
 726  
 727  
 728  
 729  
 730  
 731  
 732  
 733  
 734  
 735  
 736  
 737  
 738  
 739  
 740  
 741  
 742  
 743  
 744  
 745  
 746  
 747  
 748  
 749  
 750  
 751  
 752  
 753  
 754  
 755  
 756  
 757  
 758  
 759  
 760  
 761  
 762  
 763  
 764  
 765  
 766  
 767  
 768  
 769  
 770  
 771  
 772  
 773  
 774  
 775  
 776  
 777  
 778  
 779  
 780  
 781  
 782  
 783  
 784  
 785  
 786  
 787  
 788  
 789  
 790  
 791  
 792  
 793  
 794  
 795  
 796  
 797  
 798  
 799  
 800  
 801  
 802  
 803  
 804  
 805  
 806  
 807  
 808  
 809  
 810  
 811  
 812  
 813  
 814  
 815  
 816  
 817  
 818  
 819  
 820  
 821  
 822  
 823  
 824  
 825  
 826  
 827  
 828  
 829  
 830  
 831  
 832  
 833  
 834  
 835  
 836  
 837  
 838  
 839  
 840  
 841  
 842  
 843  
 844  
 845  
 846  
 847  
 848  
 849  
 850  
 851  
 852  
 853  
 854  
 855  
 856  
 857  
 858  
 859  
 860  
 861  
 862  
 863  
 864  
 865  
 866  
 867  
 868  
 869  
 870  
 871  
 872  
 873  
 874  
 875  
 876  
 877  
 878  
 879  
 880  
 881  
 882  
 883  
 884  
 885  
 886  
 887  
 888  
 889  
 890  
 891  
 892  
 893  
 894  
 895  
 896  
 897  
 898  
 899  
 900  
 901  
 902  
 903  
 904  
 905  
 906  
 907  
 908  
 909  
 910  
 911  
 912  
 913  
 914  
 915  
 916  
 917  
 918  
 919  
 920  
 921  
 922  
 923  
 924  
 925  
 926  
 927  
 928  
 929  
 930  
 931  
 932  
 933  
 934  
 935  
 936  
 937  
 938  
 939  
 940  
 941  
 942  
 943  
 944  
 945  
 946  
 947  
 948  
 949  
 950  
 951  
 952  
 953  
 954  
 955  
 956  
 957  
 958  
 959  
 960  
 961  
 962  
 963  
 964  
 965  
 966  
 967  
 968  
 969  
 970  
 971  
 972  
 973  
 974  
 975  
 976  
 977  
 978  
 979  
 980  
 981  
 982  
 983  
 984  
 985  
 986  
 987  
 988  
 989  
 990  
 991  
 992  
 993  
 994  
 995  
 996  
 997  
 998  
 999  
 1000

I.

JO. GEORGII MICHAELIS  
EXERCITATIO PHILOLOGICA  
DE  
JVDÆORVM SYNA-  
GOGIS PROPE SE-  
PULCRA. \*

CONSPECTVS,

S. I. *Synagogæ iudaicæ, a tempore capti-  
uitatis babylonicæ excitatæ, insigni  
fuerunt utilitati.* II. *Testimonia  
de Synagogis prope sepulchra proferuntur.* III.  
*Judicium de itinerario Beniaminis & auctore*  
T. III. P. IV. Qq cip.

\* Conscriptis Vir Celeberr. eruditam dissertationem,  
de *Judæorum Synagogis prope sepulchra*, primùm  
A. MDCCXLVII. cum ad Orationem solemnem,  
quâ Vir Doctiss. GEORGIUS JACOBVS PAVLI,  
Rectoratus munus, in Gymnasio Halensi, capes-  
sivit,

cipporum ebraicorum expromitur. IV. Confirmatur relatio horum testimoniis R. Petachie, Huetii, Tauernerii, Dapperi, inscriptione Thyatirensi apud Sponium. V. Difficultas iniicitur, sepulcra ex Num. XIX. 16. impura esse habita, qua de causa vel adiculis ornabantur, vel calce notabantur, ne quis, in illa incidens, pollueretur. Illustrantur loci Matth. XXIII. 27. Luc. XI. 44. VI. Sed ab hac religione cum tempore discesserunt, ad sepulcra commentes, in ea se prosternentes, eaque peragentes, qua in synagogis facere solebant. VII. Hoc ipsum specialius explicatur, exemplisque illustratur. VIII. Indicatur, quibus viis ad illam superstitionem sint prolapsi. IX. Conuentus Iudeorum ad sepulcra occasionem construendis synagogis dederunt. X. In his imitatio quedam consuetudinum atque institutorum gentilium est animaduersa.

## §. I.

**S**ynagoga Iudeorum, in quibus lex & propheta prælegebantur & explicabantur, preces fundebantur, sermones etiam subinde habebantur,

Avit, Auditores invitaret. Cum autem chartæ angustia prolixior argumenti pertractionem non permitteret, eandem, altero tanto auctam, quâ est humanitate, his Symbolis inferendam, bene



tur, quibus necessariis religionis doctrinis instruerentur, adque virtutis pietatisque studium incenderentur, ab illo temporis articulo repetendæ videntur, quo Chaldaeorum sæuitia vrbs vastata, templum subuersum, toti terræ tristis vastatio inducta, & Judæi, quod ad maximam partem, in miseram abducti fuere captiuitatem. Cum enim in aliena terra templi cultu destituti essent, ne inter gentes, fictitiorum deorum superstitionibus mancipatas, obbrutescerent, verique numinis sensus animis ipsorum eiiceretur, ac tandem falsis religionibus se addicerent: qui rei iudaicæ præerant, consultum duxerunt, passim loca excitare in quibus tribules ad sacra concelebranda statim temporibus conuenirent, piis precibus ac supplicationibus deum sibi propitium redderent, in legis ac auitæ religionis doctrina confirmarentur, ipsorumque animi, longis calamitatibus fracti ac deiecti, erigerentur. Quod institutum in peregrinis oris cœptum, in patrias sedes reduces laudabili contentione vrserunt, vt non facile oppidum iustæ magnitudinis esset, in quo non synagoga

Qq 2                      ali-

benevolè mecum communicavit. Quod, uti gratissimo animo agnosco, ira te, B. L. ignorare nolui, ne fortè existimes, eam jam totam impressam extitisse. C. I.



aliqua constitueretur, vrbes ampliores  
 plures vna superbirent. Atque illud sane  
 cum insigni vtilitate coniunctum erat, in  
 eodemque singularis dei sapientia se con-  
 spicuum praeuit. Hac re illis, qui Hie-  
 rosolymis longius aberant, occasio sub-  
 ministrabatur, in legis patriae notitia profi-  
 ciendi, deoque debitum cultum praestandi.  
 Tempus illud, quo humani generis so-  
 spitator, dudum promissus & anxius vo-  
 tis expetitus, compariturus esset, magis  
 atque magis adpropinquabat; diuina igitur  
 sapientia, quae omnes molitiones  
 suas aptissime connectit, ea ordinauit at-  
 que disposuit multo ante, quae doctrinae  
 ipsius, inter Iudaeos breuiori tempore spar-  
 genda, subseruire poterant: Vt hinc, quae  
 ab reditu Iudaeorum, quod ad religionis  
 emendationem sunt suscepta, tanquam  
 praeludia quaedam atque praeparationes,  
 quae viam regno Messiae inter suos eri-  
 gendo, & inde ad gentes dilatando mu-  
 nirent, spectari debeant. Templum e-  
 ruderibus suis exsurgere, quo ad illud se-  
 cundum vatum oracula vindex ille veni-  
 ret, cultus externus restitui, quo eiusdem  
 umbris fides illorum aleretur, illarum-  
 que intuitu & usu bona per ipsum addu-  
 cenda spe atque cogitationibus suis prae-  
 perent, synagoga passim excitari debe-  
 bant, quo ad illas Jesu ipsi eiusque post-  
 ea



ea fidis internuntiis liber accessus pateret, ipsosque Judæos de veritate doctrinæ magni huius prophetæ convincere possent. De synagogis, illarum origine, usu ac aliis huc pertinentibus viri docti passim agunt, speciatim argumentum hoc dedita opera occuparunt, FRANCISCVS BVRMANNVS exercit. acad. P. II. p. 194. &, qui in illo explanando singulari cum doctrina ac ἀγρυπνία versatus est, CAMP. VITRINGA, in erudito opere de *Synagoga vetere*. Ipsi illi etiam de locis, in quibus olim synagoga sunt constructæ, commentantur, ipsa *sepulcra* nominantes, quibus vel illas superstruxerint, vel prope quæ synagogas hinc inde existere voluerint. De *synagogis prope sepulcra* breuiter differunt JO. BRAVNIVS *select. sacr.* p. 776-779. JO. JAC. SCHVDT *memorab. Judaic.* L. VI. c. 38. §. 4. seqq. p. 364. seqq. prolixius ante laudatus VITRINGA de *synag. vet.* L. I. P. I. c. 11. p. 213-224. cuius vestigia legit JO. NICOLAI de *sepulcr. ebræor.* L. IV. c. 6. p. 250-255. Qui quoniam spicilegium aliquod reliquerunt, argumentum hoc de nouo pertractabo, prolaturus (1) testimonia illorum, qui synagogarum prope sepulcra in scriptis suis mentionem faciunt, eaque expediturus, quæ eisdem obuerti queant, (2) inquisiturus, quid in illis cum maxime sit factum.

Q. 3.

§. 2.



## §. 2.

Quidquid de synagogis his circumfer-  
tur, est *res facti*, testes igitur fide dignos  
circumspicere oportet, ne temere aliquid  
pronuntiare videamur. Verum equidem  
est, non adeo multos a nobis citari posse,  
sunt tamen aliqui, qui num characteribus  
verorum testium sint insigniti §. 3. dispi-  
ciemus. Res vel maxime redit ad aucto-  
rem *cipporum etraeorum*, a cel. JO. HENR.  
HOTTINGERO vulgatorum, in idio-  
ma latinum conuerforum, doctisque no-  
tis illustratorum, & R. BENJAMINEM  
Tudelensem, cuius itinerarium, eruditis  
adnotationibus illustratum, dedit vir e-  
brazarum ac reliquarum orientalium litte-  
rarum callentissimus, CONSTANTINVS  
L'EMPEREVR. In utroque hoc libello  
tot huius generis synagogarum exempla  
nobis occurrunt, ut si illa omnia in me-  
dium proferrem, verendum mihi esset,  
ne lectori tædium & nausea crearetur.  
Quare modum tenebo, & pauca tantum  
in scenam producam, illarum sc. (1) quæ  
fuerunt in terra iudaica, (2) quæ extra  
illam, (3) quæ sepulcris fuerunt super-  
structæ, (4) iuxta quas mortui terræ illati.  
In terra iudaica præ aliis memoratur *spe-  
lunca duplicata* Abrahami, prope quam syn-  
agogam בית הכנסת olim fuisse, post eversam  
pror-



prorsus, refert BENIAMIN p. 48. Sepulcrum *Samuelis* insigni ædificio ornatum fuisse, legitur in *cippis*, additur: והמקור מדרש, נורה מאד ושמם מדרש, *Ille quidem locus est venerabilis valde, ibique est schola* p. 51. Obseruandum tamen, ibi non tam fuisse monimentum, quod ossa atque cineres prophetæ inclusa habuerit, quam quidem cenotaphium. Aliter sentit. R. BENJAMIN, qui sepulcrum *Samuelis* repertum fuisse perhibet, & iuxta illud synagogam existitisse adfirmat, מצאנו קברו של שמואל, הרמתי אצל כנסת היהודי, *inuenerunt sepulcrum Samuelis Ramatensis iuxta synagogam Iudeorum*, itin. p. 50. Schola מדרש Phineasi non longe ab ipsius sepulcro fuisse, memoratur in *cipp.* p. 51. Extra terram in Babylonia præ aliis eminuisse dicitur synagoga Ezechielis prophetæ, prope quam fuerit sepulcrum eiusdem, אחרי הכנסת, קברו של יחזקאל, BENJAM. p. 78. ad quam non Judæi solum, verum etiam Mohammedani precandi ergo commeent, ratum ob prophetæ sanctitatem votorum suorum compotes euasuros esse. Cum hoc loco Beniaminis conferri vult WAGENSEILIVS in not. ad cod. Sota p. 718. 719. ea, quæ habentur in Baal Schalsch. hakabb. p. 20. Neque hic honos tantum datus est prophetis, verum etiam aliis doctoribus insignioribus. Scholam מדרש



struendam curasse, in eademque sepulcrum suum inuenisse, R. *Simeonem*, filium Jochai, cipp. p. 69. relatum legimus. Ante monumentum *Esræ* כנסת גרורה, *synagogam magnam*, fuisse, quorsum etiam ad precandum, confluant Mohammedani, narrat Benjamin p. 86. *Mardocheus* item atque *Esthera* ante *synagogam* aliquam כנסת terra obruti fuisse memorantur p. 96. In atrio *synagogæ* sepultus fuisse fertur R. *Jose* שם קבור ר' יוסי זל כחצר המדרש *ibi* (Sagnæ) *sepultus est* R. *Jose* p. m. in atrio *synagogæ* p. 75. Ante sepulcrum R. *Judæ* & R. *Samuelis* erant *synagogæ*, quas ipsi viui excitari iusserant: ולפני כל אחד ואחד בית כניסתו אשר בנו הם לפני מותם p. 63. Videtur etiam aliquando ager adiectus fuisse *synagogis*, in quo commune sepulcretum esset. De *synagoga* *Calebi* hoc relatum reliquit *Tudelenfis*, שם כנסת כלב בן יפנה בקרוב שם מקום קברי ישראל, non longe inde abest *synagoga Calebi*, filii *Jephunne*, ubi est communis locus sepulcrorum *Israëliitarum* p. 53. Sed exemplorum satis! In locis excitatis adhibitas vidimus voces מדרש & כנסת, deficiente vocula בית, quæ subaudienda est, alibi expressa, quarum illa latius patet, domum siue locum conuentus designans, ad id publice constitutum, quo ibidem certis temporibus plebs sacra religionis offi-



officiis defungatur, hæc, sensu strictiore, denotat locum accuratioribus de sensu legis ac religionis doctrina disquisitionibus ac disputationibus, destinatum.

§. 3.

Sed enim quenquam mihi reagentem audio, quæ prolata sunt testimonia, rem nondum dant euctam, obstare hic mihi videntur rationes sat graues, quarum alia petita a *testibus*, ab *religione* alia. Duo tantum testes, & illi quidem non optimæ fidei, in scenam producuntur. A multis iamdum retro temporibus Judæi fidem decoxerunt, quibus in more est positum, pro lubitu historias fingere, aliisque fumum vendere, modo ad gentis suæ gloriam suis commentis aliquid conferre queant. De *Beniamine Tudelenfi* non admodum æqua virorum eruditorum collegit iudicia vener. JO. CHRIST. WOLFIVS bibl. ebr. T. I. p. 248. 249. quibus alia addit erud. iuuenis, JO. PHIL. BARATERIVS, præcipitato fato rei litterariæ ereptus, dissertat. in Beniam. I. §. 4. 5. p. 7-13. qui etiam longius reliquis procedit, iudicans, hominem istum iter nunquam reuera confecisse, sed incertos rumusculos conuassasse, quo sic opinionem de gloria, splendore atque dominatu gentis suæ in remotissi-



mis terris stabilitam iret, sicque vaticinium Jacobi de sceptro a Juda ablato irritum redderet. De auctore cipporum HERMANNVS CONRINGIVS, vir grauis & iudiciosus, ep. ad Hottingerum Guelferbyto d. 15 Sept. a. 1661. data, inserta paradoxis ipsius de numis ebraeorum collect. Crenianæ fasc. II. p. 100. ita sentit: *mibi videtur sane: aut ficta esse pleraque, aut cippos illos extractos esse a Iudeis, postquam nuntiavit in Palestina imperium christianorum Europæorum.* Quæ ipsa repetit c. XI. &, quantum fidei libelli auctor mereatur, vberius adstruit, de ipso pariter Beniamine ita censens: *in vniuersum istius quidem libelli auctor videtur eiusdem fuisse indolis cum BENJAMINE vel potius eius, quæ vulgo Iudeis pene est communis, quæ nempe in parte pietatis collocat, MENTIRI, si videatur id suo superstitioso zelo commodum* p. 231. Equidem non inuiti largimur, Iudæos in rebus historicis fluxa uti fide, nec ii sumus, qui quæ vterque scriptor habet, pro veris omnia recipiamus: plura illis fabulosa & commentitia inesse haut diffitemur, quod, si prolixioribus esse liceret, non vno exemplo demonstrare possemus. Enimvero uti non semper mentiuntur Cretes, ita sæpenumero veritatis vis est tanta, ut etiam contra propria commoda victas illi dare cogantur manus. Vbi hi homines re-

præ-



præsentant synagogas, mortuis superstru-  
ctas, vel prope illas hominum fato fun-  
ctorum exuias terræ mandatas esse te-  
stantur, ad illorum monumenta popula-  
res suos accessisse, in illa pronos fuisse  
lapsos, oscula eisdem fixisse, preces, ac  
vota concepisse, aliisque religionis offi-  
ciis obsecundasse commemorant, defecti-  
onem suam a prisca patrum fide ac sacratis-  
simis legibus satis produnt, a deo vero &  
vivo ad mortuorum ossa atque cineres ma-  
le sana superstitione sese conuertentes.  
Fieri etiam potest, vt non tot, quot ad-  
pellantur, synagogæ huius generis fuerint.  
Illud etiam dici potest, voces מדרש & כנסת,  
de quibus §. 2. non vbiq̃ adeo stricto ac  
determinato accepisse sensu, ac id tantum  
dicere voluisse, ad sepulcra sanctorum ho-  
minum aliquando se recepisse, ibidemque  
actus aliquos religiosos, quibus alias in  
synagogis vacare fuerint soliti, exeruisse.  
Ponamus denique, omnia illa, quæ de syn-  
agogis chartæ illeuerunt, somnia esse  
hominum nugiuendulorum ex istis tamen  
hoc colligere licet, ab opinionibus recen-  
tiorum Judæorum alienum non esse, pro-  
pe sepulcra synagogas condere, vel iisdem  
imponere, vel in illis cadauera, homi-  
num vita functorum, sepelire.



## §. 4.

Sed vero res nostræ nondum ita sunt  
conclamata, ut receptui canere sit necesse:  
non desunt aliorum testimonia, quibus  
demonstrationi nostræ tantus probabilita-  
tis gradus adcrevit, quantum in istius mo-  
di rebus desiderare licet. R. PETACHIA,  
cuius *itinerarium* una cum latina interpre-  
tatione nobis dedit illustre quondam Alt-  
dorfinæ academix decus, JO. CHRIS-  
TOPH. WAGENSEILIVS, in *exercitatio-  
nibus suis sex*, iunctim editis, exercit. IV.  
p. 160-203. Ratisbona egressus, terras,  
cum primis solem orientem spectantes,  
eodem sæculo, quo *Beniamin*, XII. sc. a  
C. N. adiit ac lustravit, conf. WOLFIUS  
bibl. ebr. T. I. p. 996-997. Is eodem fe-  
re modo, quo Tudelenfis sepulcrum E-  
zechielis describit, fuisse nimirum fabri-  
cam magnificam, superbis substructioni-  
bus se ostentantem, a qua monumentum  
prophetæ non longe abfuerit. Verba eius  
hæc sunt, *חֲסִיב לְקַבֵּר יִחְזָקָא מִקֶּפֶת חִימָא*  
*וְעַד גְּרִילָא וְחֲצֵר גְּרִילָא*, *ambit Ezechielis se-  
pulcrum murus cum ædificio insigni, habetque  
aream ingentem*, p. 179. quam molem in  
seqq. tam amplis extollit verbis, ut, qui  
illam non viderit, egregium ædificium  
per vitam suam vidisse non sit dicendus.  
Porro narrat, tempore *συννοητίας* Judæos  
ex



ex omnibus locis ingenti multitudine eo confluxisse, festiuam sollemnitatem in illius atrio agitauisse, eoque munera detulisse ac sepulcro intulisse. Quæ de miraculis ibidem factis, ex parte etiam ridiculis, subdit, ingenio iudaico adprime conueniunt. Cum illo, quod ad rem, paria habet BENJAMIN, qui perhibet, inde ab initio anni ad expiationis festum eo contendisse Judæos p. 78. 79. quoniam vero festum tabernaculorum non multo post sollemnitatem piacularem celebrabatur, fieri potest, ut ad illud usque fuerint demorati, vel alii de nouo, prioribus discedentibus, accesserint. Equidem ingenue fateor, R. PETACHJAM non nominare hunc locum *Synagogam*, quoniam tamen in seqq. p. 82. inducitur רש"י *archisynagogus*, inferre possumus, ibidem loci confectum aliquem scholasticum siue academicum, cui homo iste praefectus fuerit, obtinuisse. Sed iterum dicentem non neminem audire videor, de nouo Judæus prodit, illo non superior imo forte inferior, homines ad fraudem omnem atque mendacia turpiter proiecti, quorum alius alii mentiendo fert suppetias, quo fucum aliquem atque colorem causæ suæ inducant. Quare operam demus oportet, ut aliorum testimonia, quibus plus fidei est habendum, conquiramus.

Hlu-



Illustriſis HVETIVS, quod, de ſepulcro  
 Ezechielis tradunt Judæi, extra omnem  
 fere dubitationis aleam poſitum eſſe arbi-  
 tratur: *certum eſt*, inquit, *quindecim circi-*  
*ter Franciſcis leucis a Bagdado locum nunc*  
*quoque magnis Judeorum conuentibus celebra-*  
*ri, in quo ſepultum Ezechielem arbitrantur,*  
 dem. euangel. prop. IV. p. 270. edit. Paris.  
 Adſtipulatur nobil. TAVERNERIVS, qui  
 diſertis verbis teſtatur, *Judeos Bagdadens-*  
*es quotannis ingente turba ad ſepulcrum Eze-*  
*chielis, quod diei & dimidii itinere diſtet ab*  
*vrbe, conuolare, itin. in Perſiam L. II. c. 7.*  
 p. 92. edit. Geneu. Cum hiſ accurate  
 conſentiunt illa, quæ habet ODOARDVS  
 DAPPERVS, *Judeos quotannis magno nume-*  
*ro Bagdadum commigrare, & multa cum deuo-*  
*tione ſepulcrum Ezechielis inuiſere, quod iuxta*  
*fluuium Chabor vnius & dimidii diei itinere*  
*abſit vrbe.* Verba repetimus ex MAENN-  
 LINGII Dappero exotico curioſo, deſcrip-  
 tione Aſiæ p. 103. Prouocat præterea WA-  
 GENSEILIVS in Sota p. 717. ad ſagacem  
 illum ac curioſum peregrinatorem, PE-  
 TRVM de la VALLE tom. I. itin. ep. 17.  
 ſed liber ad manus non eſt. Sepulcrum  
*Eſtheræ & Mardochei hodierno adhuc die*  
 Hamadane in Media ſupereſſe, teſtis eſt  
 SANSONIVS in adp. ad itin. Olearii p. 45.  
 vbi loci Judæi ingentem lampadum, quæ  
 die ac nocte ardeant, numerum alant, &  
 quo



quo ad preces, festis quibusdam diebus fundendas, cateruatim commeent. Notum pro synagogis iuxta sepulcra argumentum nobis exsurgit ex inscriptione græca, Thyatiris reperta, quam seruauit nobis doctiss. SPONIVS, voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece & du Leuant T. I. P. 398. quæ ita se habet:

ΦΑΒΙΟΣ ΖΟΣΙΜΟΣ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ  
ΣΟΡΟΝ ΕΘΕΤΟ ΕΠΙ ΤΟΠΟΥ ΚΑΘΑΡΟΥ  
ΟΝΤΟΣ ΠΡΟ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΠΡΟΣ  
ΣΑΜΒΑΘΕΙΩΝ ΕΝ ΤΩ ΧΑΛΔΑΙΟΥ ΠΕΡΙΒΟΛΩ

Per *σαμβαθειον*, quæ vox ex ebraico שבת  
ortum ducit, synagogam esse intelligen-  
dam, accurate demonstrauit cel. BRAV-  
NIVS in ep. ad *Cuperum*, quæ legitur in  
select. sacr. p. 769-779. adpellationis ra-  
tio hæc est, quoniam sabbato in illa Ju-  
dæi ad communia sacra concelebranda  
conueniebant. Juxta illam tumulum, &  
quidem in septo, torte *horto* Chaldæi, ho-  
minis Judæi, Chaldæa oriundi, corpori  
demortuo sepeliendo destinatum, para-  
uisse *Fabium Sositum*. Habemus igitur ar-  
gumentum hominis Græci, vnde disci-  
mus, a Judæorum moribus alienum non  
fuisse, corpora hominum demortuorum  
iuxta synagogas terræ inferendi, vt hinc,  
quæ auctor cipporum & Benjamin de his  
syna-



synagogis habet, non ilico mendacii sint postulanda. Adpellationem autem istam, qua *σαμβαθειον*, siue *σαββατειον* pro synagoga ponitur, non ita infrequentem fuisse, adparet ex decreto *Augusti* imperatoris, quo Judæis Asiaticis iura sua contra insultus Græcorum confirmavit. Illud ab interitu vindicavit JOSEPHVS A. J. L. XVI. c. X. p. 561. edit. Colon. in quo hæc habentur: *Ἐὰν δὲ τις Φωραθῇ κλεπτῶν τὰς ἱεράς βιβλῆς, ἢ τὰ ἱερά χεῖματα, ἔκτε ΣΑΒΒΑΤΕΙΟΥ, ἔκτε ἀνδρῶνος, εἶναι αὐτὸν ἱεροσύλον καὶ τὸν βίον αὐτὸς ἐνεχθῆναι εἰς τὸ δημοσίον τῶν Ῥωμαίων.* Per *σαββατειον* synagogam esse intelligendam, ex iis, quæ locum circumstant, adparet. Nominantur libri sacri, quibus in conventibus religiosis utebantur, nominantur porro pecuniæ sacræ, Hierosolymam deportandæ, sed & hæc & illi in synagogis adseruabantur. Differentia inter *σαμβαθειον* & *σαββατειον* est levis,  $\mu$  priori inditum facere ad compensationem *dagesch* fortis, demonstratum dedit BRAVNIVS. Porro in edicto respicitur procul dubio ad querelas legatorum, quos Judæi ad Augustum miserant: videtur igitur nomen *σαββατειον* hoc sensu Judæis, græca lingua in Asia utentibus, familiare admodum fuisse. Conf. VITRINGA c. I. p. 130. 132. VRIEMOT miscell. Duisburg. Vol. II. fasc. 6. p. 705. 706.



## §. 5.

Sed alia difficultas a religione, quæ vim magnam in hominum animos habet, emergit, sc. Judæos, si quidem ad loca, in quibus mortuus aliquis fuerit humatus, accesserint, gravem sibi attraxisse impuritatem. Hæc quippe lex ipsis erat scripta: *quisquis attigerit in patenti agro confossum gladio (aut alio quouis instrumento), aut mortuum, aut os hominis, aut SEPULCRUM, impurus habebitur septiduum* Num. XIX. 16. Pollutio, quæ ex contactu hominis mortui aut sepulcri proveniebat, habebatur omnium maxima. Quidquid is vel ex rebus animatis attingebat, id omne impurum habebatur, nec immundities ista per momenta aliqua, vel per diem tantum, sed per integrum septiduum durabat, neque ante purus censebatur, quam cineribus vaccæ rufæ combustæ, aqua fluiviali maceratis, per virum *purum*, siue sacerdos, siue Levita, siue Israhelita esset, modo non notabili aliquo vitio laboraret, beneficio hyssopi adspargeretur v. 17-19. De impuritate ex contactu mortui, eiusque purificatione prolixius differunt SAL. DEYLINGIUS obs. sacr. P. III. obs. IX. p. 89. seqq. DIETER. JACOBS in elaboratissima diss. de *adspers. ebræor.* sub præsid. Cl. IKENII c. VI. §. 20. p. 205-209. Neque ita fastid. T. III. P. IV. R r cile

cile corpus vita destitutum vim polluendi amittebat, hinc MAIMONIDES cod. Tumatath met. c. II. §. 15. 16. quem AINSWORTHVS ad l. c. adducit, adfirmat: *Sepulcrum, quamdiu aliquid impuritatis eidem insit, contactu polluere, siue illud aliquis superius, siue a latere tangat. Cinerem corporis demortui, in agro delitescens, ubi aratro terra fuerit erutus, dum attingatur, vel portetur, taminare.* Impuritas etiam illa a corpore dudum terra obruto, si attingeretur, se ilico diffundebat. Instrumentum, rabbinis מריצה dictum, quo mortuorum ossa contundebant, ut illa in canistrum coniecta de loco in locum deportari possent, impurum habebatur, Shekal. c. VIII. §. 2. & ad illum WVLFERVS p. 161. Hæc ratio fuit, quare, ubi corpus hominis, vel vi obruncati, vel fati violentia superati, siue os aliquod illius in agro fuerit repertum, signum aliquod adposuerint, tum ut transeuntes agrum sibi cauere, ne contaminarentur, tum ut vespillones incitarentur, ipsum illud terra contegere. In morem hunc digitus intenditur Ezech. XXXIX. 15. ubi habemus vocem צִיָּק adhibitam, quam KIMCHIVS in seph. hassch. p. 409. interpretatur per מצבה שמימין אורו על הקבר או מצבה שמימין אורו על הדרך *statuam quam ponunt prope sepulcrum, vel in signum iuxta vias, quæ* verba



verba ad h. l. repetit R. SAL. BEN-ME-  
LECH. Prior significatus equidem con-  
tenit loco II. Reg. XXIII. 17. vbi pariter  
hæc vox occurrit, sed non præsentī. Ta-  
le igitur signum, vel lapis, vel paxillus  
concipi debet, qui a transeuntibus intra  
breue tempus constitui potuit, quare  
LXX. interpretes generatim vertunt *σημείον*.  
A qua significatione ad h. l. alienus non  
est ante nominatus KIMCHIVS, quam se-  
quitur etiam R. SAL. ISACIDES, qui vo-  
cem *צֶיֶן* exponit per *סימן* signum, *שֵׁשׁ*  
*כֶּתֶן עֲצֵם שֶׁל מֵת כִּדִּי שִׁירְשׁוֹ מִמֶּנּוּ הָיָה*  
*כֶּתֶן עֲצֵם דְּרָכֵיכֶם וְעֵשִׂי מִדְּרוֹת*  
*esse ibi os hominis mortui, vt inde secederent*  
*peregrinantes ac puritatis studiosi.* Et quo-  
niam ex facili euenire poterat, vt istiusmo-  
di signa, temporis diuturnitate, imbrium  
ac tempestatum vi abolerentur vel grami-  
nibus atque herbis contegerentur, ipsa  
illa quotannis instaurare sunt soliti. Inter  
alia enim, quæ in commodum publicum  
suscepisse in cod. Shekal. c. I. §. 1. me-  
morant etiam hoc est, *מִצִּיתֶן אֶת הַקְּבֻרֹת*  
*signant*, vel signo quodam notant *sepulcra*,  
quod ipsum repetitur in cod. Megilla c. 1.  
§. 2. Maas. Scheni. c. V. §. 1. addatur R.  
ALPHES in *סֵדֶר מִדֶּר* p. 195. Hoc autem  
signum quale fuerit, & ex qua materia  
paratum, declarat R. OBADIA de BAR-  
TENORA, fuisse signum aliquod calce

R r 2

pro-

והציק היא paratum macerata probe  
 שמהו סיד ושופכים אותו סביב  
 הקבר' וכימות הנשמים היה הסיד נמח  
 וצריך לחזור לציין & *signum hoc in eo con-*  
*sistebat, macerarunt calcem, illaque qua-*  
*quaversus circa sepulcrum adlinunt; calce e-*  
*nim tempore imbrum soluta, necesse est, illam*  
*de nouo inducere ac sepulcra signare.* Eadem  
 repetit ad locum cit. Megillæ, itemque  
 ALPHESIVS. Volunt, calcem, aqua co-  
 piosius adfusa, probe fuisse solutam & ma-  
 ceratam, quo maiorem candorem attra-  
 heret, & sepulcris adfusa osfium albedi-  
 nem repræsentaret. Finis huius instituti  
 erat, signum aliquod exstantius ponere,  
 ne homines transeuntes loca, in quibus  
 sepulcra delitescabant, inscii se pollue-  
 rent. Signa hæc quouis anno, mense A-  
 dar, & quidem non privato studio, sed  
 publica auctoritate (a senatu quippe su-  
 premo negotium hoc certis hominibus  
 committebatur) instaurabantur. Hoc au-  
 tem tantum intelligendum de sepulcris  
 hominum pauperiorum, & qui inferioris  
 conditionis erant, qui enim in re lauta e-  
 rant positi, vel dignitate eminebant, illi  
 cippis atque inscriptionibus, ædificiis item  
 illa ornabant, quæ & ad memoriam, cum  
 futura posteritate æquandam facerent, &  
 viatores, ne propius accederent, admo-  
 nerent. Pluribus de hoc more dissertant  
 LIGHT-



LIGHTFOOTVS opp. T. II. p. 360.  
 POCOCKIVS not. miscell. p. 73. 85. JO.  
 CHRIST. ROSTEVSCHEVVS pecul. diff.  
 de *sepulcris calce notatis*, inserta thes. theol.  
 philol. Menthen. Vol. II. p. 170. 177. ex  
 quibus multum profecit JO. NICOLAI de  
*sepulcris ebr.* L. IV. c. 3. p. 233-237. Quod  
 diximus, contestata est veritatis, ad hunc  
 enim morem signandi sepulcra in sermo-  
 nibus suis adludit Christus Luc. XI. 44. no-  
 minando *μνημεια ἀδηλα* & Matth. XXIII. 27.  
*ταφες κεκονιαμεναι*. Το ἀδηλον notat aliquid,  
 quod ita est abditum, ut in hominum o-  
 culos non incurrat, sicque lateat, quare  
 HESYCHIVS vocem ἀδηλος reddit ἀγνοια,  
 ἀφανεια, quem sensum etiam expresit  
 SYRVS *μνημεια ἀδηλα* interpretando ܡܢܝܡܝܐ

ܡܢܝܡܝܐ ܡܢܝܡܝܐ *sepulcra ignota*. Ταφοι κεκο-  
 νιαμενοι sunt, interprete THEOPHYLA-  
 CTO in Matth. XXIII. τῶ γυψῷ καὶ τῇ ἀσ-  
 βεστῷ λελευκασμενοι *sepulcra gypso & asbesto*  
*dealbata*, Syrus vertit ܡܢܝܡܝܐ ܡܢܝܡܝܐ

*sepulcra dealbata*. Priori ῥησι respicitur ad  
 sepulcra non signo aliquo externo notata,  
 posteriori ad monumenta calce candida si-  
 gnata. Vtramque locutionem erud. PO-  
 COCKIVS idem significare existimat,  
 caussatus, ταφες dici ὥραις, non quod  
 sepulcra sint calce obducta, sed quod gra-

Rr 3

mi-

mine sint vestita & obducta, quod oculos oblectet & voluptatem exciter, & hac ipsa etiam de causa adpellari *μνημεια ἀδελαι*. Interpretationi huic pollicem premit HAMMONDVS, a qua vero non sine ratione discessionem fecerunt ALEX. MORVS not. ad N. F. edit. Fabric. p. 68. 70. itemque CLERICVS in adnot. ad Hammond. Concedimus, Christum in vno eodemque sermone Pharissæos comparauisse, cum sepulcris & calce obductis, & minus adparentibus ac obscuris cuius priorem partem Matthæus, posteriorem Lucas refert. Sed quoniam το ὄρειον speciosum esse, adeoque cum voluptate oculos ferire, & ἀδελαιον obscurum esse, oculorum adspectui subduci, sunt opposita, quæ vno eodemque tempore ac respectu vni rei conuenire nequeunt, ad vtriusque generis sepulcra, & quæ signis notata nondum erant, vel quorum signa causis quibusdam externis deleta erant, & quæ calce notata erant, adeoque elegantem speciem præ se ferebant, respici, non sine ratione arbitramur. Cum vtrisque Christus componit Pharissæos. Illi externam pietatis virtutisque speciem simulabant, videbantur igitur illis, qui externa forma capiebantur, ὄρειοι: sed iidem illi instar *μνημειων ἀδελαιων* sub pectore omnem spurcitiam ac tetram immunditiam clausam, habebant, vt,



vt, qui incauti illorum doctrinæ & fictæ pietati obhærescebant, in impuritatis communionem deuenirent. A me impetrare non possum, quo minus adducam verba SENECAE, docentis, speciem externam ab interna rei indole saepe multum discrepare (*isti, inquit, quos pro felicibus adspicis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videtis, miseri sunt*, SORDIDI, turpes, ad similitudinem PARIETVM suorum extrinsecus culti, de prouid. c. VI. p. m. 208-209.

## §. 6.

Quidquid tamen sit de sepulcrorum impuritate, illorum tamen religio cum tempore creuit. Ne quid de eo dicam, quod habemus Jo. XI. 31. Mariam Lazari sororem ad huius sepulcrum exiuisse, quandoquidem id non tam fecit superstitione quadam, quam amore in defunctum ducta, abiit enim, vt fleret Jo. XI. 31. & quis muliebribus plâctibus modum ponere potest? Pix feminæ, quæ Christo adictæ erant, vbi is ex sepulcro suo viuus exsurrexit, ad sepulcrum illius accesserunt, & locum, vbi repositus erat, propius sunt speculatæ Marth. XXVIII. 1. Marc. XVI. 1. 2. Luc. XXIV. 1-3. Jo. XXI. 1-3. Sed huius ratio reddi potest inde, illas pollutionem veritas non esse, cum scirent,

Rr 4

do-

dominum suum sepulcris immunditiam  
 sustulisse, eademque ipsa sua resurrectione  
 sanctificasse, adeoque in eo præludium  
 aliquod conspectum fuisse, fore, ut dehinc  
 omnes illæ umbræ legales cessarent. Sed  
 enim in eo non substituerunt, ut sepulcra  
 inniserent, longius progressi, ut etiam  
 illa adirent, quo mortuis ea præstarent,  
 quæ ipsis viuis deberi non ignorabant. JO-  
 SEPHVS VOYSINIVS inter canones poen-  
 itentiales, quos ad *Raymundi Martini*  
*pugionem fidei* excerptis n. 20. si quis litem  
 cum proximo exercuerit, qui ante re-  
 conciliationem discesserit, מוריד עשרה  
 בני אדם על קברו ויאמר חטאתי ל"ה אלהי  
 ישראל ולפרנני זה שהקנסתני *adducat de-*  
*cem homines ad sepulcrum eius, & dicat, pec-*  
*cavi aduersus dominum deum Israël, &*  
*aduersus hunc, quem irritavi* p. 835. Eadem  
 hæc repetit. erud. *Blasius Vgolini* not. ad R.  
 Chiiæ additamenta ad cod. de die expiat.  
 c. IV. p. 178. Verba ex Voyfinio excitata,  
 desumpta sunt ex *arba turim in iom hakkipp*  
 quæ adducit SHERINGHAMVS ad d. I. qui  
 addit, decem illos secum constituisse  
 super sepulcrum mortui, quem offen-  
 derit. Ratio instituti hæc erat, quoniam  
 qui offenderat alium, certam peccato-  
 rum remissionem habere non poterat,  
 nisi ei, quem læserat, reconciliatus esset.  
 Joma c. VIII. §. 9. Quem mortuum nisi  
 præsentem sibi quasi repræsentarunt, sal-  
 tim



tim id intenderunt, vt, conspecto sepul-  
cro ad resipiscentiam permoueretur, cum  
breui fieri posset, vt & ipse vita exiens ad  
iudicem viuorum & mortuorum vaderet.  
Porro in sepulcra se prostrauerunt, pre-  
cesque fuderunt. Superstitionem hanc  
iamdum adscribunt doctores gema-  
rici Calebo, quo de legitur, *וששתחו על קברי*  
*אבות אמר להם אבות העולם בקשו עלי*  
*רחמים שאנצל מעצת מרגלים* *expandit*  
*se* (pronus sc. lapsus in terram) *super se*  
*sepulcra auorum, dicens illis, qui flagitate pro*  
*me misericordiam, vt liberer a consilio explo-*  
*ratorum*, WAGENSEILIVS in Sota ex-  
cerpt. Gemar. c. VII. §. 6. p. 715. De Mo-  
se habet excerpt. gemar. c. I. §. 52. ipsius  
sepulcrum propterea occultatum fuisse a  
deo, שמא יבואו לקבורתו של משה באותה  
שעה ועמדו בבכיה ויתחננו למשה ויאמרו לו  
*ne confugerent illa*  
*tempestate* (qua sc. templum euersum esset)  
*ad sepulcrum Mosis, & precarentur cum lacry-*  
*mis & supplicarent ad Mosén dicentes, o Mosés,*  
*magister noster, intercede pro nobis* p. 329.  
De sepulcris hominum virtute & sanctita-  
te conspicuorum pronunciat auctor cip-  
porum, ארה מסעי בני ישראל אשר ילכו  
מחיל אל חיל להשתטח על קברי הצדיקים  
עזה בבכי יבואו ובתחנונים להתפלל ולבקש  
רחמים עליהם ועל אחיהם שבגולה  
*haec sunt itinera filiorum Isráel, qui progressi*  
*sunt*

sunt de virtute in virtutem, ut prosternant se  
 super sepulcra iustorum, super quibus sit pax.  
 Accedunt cum fletu ac supplicationibus, ad exo-  
 randam sibi & fratribus suis, qui sunt inca-  
 ptiuitate, misericordiam dei, p. 27. 28. Id  
 ipsum specialibus exemplis comprobari  
 potest. De sepulcro Aharonis memorat  
 auctor cipporum, illi *superstructum esse*  
*fornicem pulerum*, quo Judæi abeant  
 כבוד להשתחוות ומתפללים על קברו  
 se, atque precentur super sepulcro eius p. 79.  
 & cel. HOTTINGERVS ex libro quodam  
 MS. iudaico refert, Judæos tempore diu-  
 turnæ siccitatis & defectus pluuiarum ad  
 sepulcrum Zachariæ se contulisse, *precib-*  
*us, ieiunio, circuitionibus, variisque litanis*  
*defunctos fuisse*, hoc effectu, ut largior  
 pluuia fuerit secuta, not. ad cipp. p. 46.  
 47. Prope sepulcra ea haut raro peregrisse,  
 quibus alias in synagogis vacare solebant,  
 argumento est id, quod in cod. Bava ka-  
 ma fol. 16. b. & 17. a. adducitur. כבוד  
 עשו לו במותו מלמד שהשיבו ישיבה על קברו  
 פי' ישיבת תלמידים לעסוק שם בתורה  
 & gloriam fecerunt ipsi in morte sua (sunt  
 verba II. Chron. XXXII. 33. quæ de Hiskia  
 rege dicuntur) unde discimus, congregasse  
 coetum scholasticum ad sepulcrum eius, h. e.  
 studiosos, ut discerent ibi scripturam. De-  
 bemus verba hæc SCHICKARDO de iure  
 reg. ebr. c. VI. theor. 19. p. 434 - 435. unde



de etiam repetit B. VITRINGA de synag. vet. L. I. P. I. c. XI. p. 224. Equidem mirum est, qui occasione verborum horum in hanc cogitationem incidere potuerint, honorem Hiskia mortuo exhibitum in eo constituisse, ut ad sepulcrum ipsius coierint, quo se in legis ac religionis doctrina exercerent, quod alias in scholis fieri adsolebat, nec vilo modo est probabile, id proxime ab excessu piissimi regis huius factum fuisse: nihilo tamen minus inde hoc in usum nostrum conuertere possumus; ex communi fere Judæorum posteriorum sententia licitum fuisse ad sepulcra commicare, & prope illa iis occupari negotiis, quibus alias synagoga destinata erant. Hoc tamen silentio prætermittendum non est, magistros statuere, illos, qui ita rebus sacris vacauerint, a sepulcris aliquantulum remotos fuisse, ne ab illis aliquid impuritatis ad se transfiret, hinc additum *לפי קבר ממש ארבע אמות*, sed super sepulcro nilquidquam peragunt, sed spatio quatuor cubitorum inde remoti. Quocum conuenit omnino MAIMONIDES, docens, licitum non esse apud sepulcra legere, discere, phylacteria gestare & orare, nisi ad quatuor cubitorum distantiam, hilch. euel c. XIV. §. 13. conf. GEIERS de luct. ebr. c. VI. §. 11. VITRINGA c. l. p. 224. Quoniam autem hoc decretum cum

il-

illis, quæ in supp. adduximus, pugnat, ex quibus dilucide adparet, se super sepulcra pronos prostravisse, iisdemque oscula fixisse, forsitan de sepulcris hominum vulgarium est intelligendum, non extendendum ad monimenta virorum sapientia, sanctitate aliisque virtutibus conspicuorum.

## §. 7.

Ex his iam, quæ disceptauimus adhuc, generatim quidem adparet, quibus religiosi actibus iuxta sepulcra obsecundarint, instituti tamen ratio postulat, ut id ipsum specialius declaremus. Ex omnibus synagogis, quæ vel sepulcris inædificatæ, vel iuxta illa constructæ fuerunt, illam *Ezechielis* fuisse celebratissimam, §. 2. 4. monuimus. Eo confluxebant ingenti numero, & diem expiationis sollemnem celebrabant, legentes e codice manu *Ezechielis* exarato ea, quæ festiuitas huius diei postulabat, מציצת ספר גורל מכתבת החפירות וקורק בו ביום הכפירות *educunt* (ex theca sc. in qua libri legis adseruabantur) *librum ingentem scriptum manu Ezechielis, & legunt ex illo expiationum die.* BENJAM. p. 79. Sint immixta huic relationi falsa veris, quorum illud, quod de cod. MS. *Ezechielis* & bibliotheca, ibidem inde, a longissimis temporibus adser-

ua-



vata, (cum probabile non sit, si quidem tales libri unquam exstiterint, per tam longum temporis spatium in tanta rerum conversione superstites mansisse): id tamen non contemnendis testimoniis in supp. probatum dedimus, eo precandi ergo conuolasse. Potuit id ipsum igitur etiam die expiationis factum fuisse. Vbi templum adhuc stabat, in eodemque diuinus cultus secundum legem Moſis peragebatur, sacerdos summus, peractis facris piacularibus, sectiones aliquot legis coram populi concione prælegebat Jomac. VII. §. 1. hunc igitur morem etiam prope sepulcrum Ezechielis obseruasse videtur. Juxta sepulcrum Samuelis fuisse schoolam מדרש §. 2. indicauimus, ad quam tempore pentecostes multa cum gaudii demonstratione contenderunt, כשנה באים עולי רגלים כתג השכנות ומבואן לשם גרות שעה ונררים ונרבות quouis anno eo proficiscuntur adscendentes pedibus in festo pentecostes, adducentes eo candelas cereas votiuas & spontaneas oblationes, tempus multa letitia ibi traducentes, de cipp. p. 51. Ad conseruationem populi iudaici aduersus violenta consilia Hamanis multum tribuisse Estheram atque Mardocheum, satis constat, in cuius liberationis memoriam dies festos, Purim dictos, instituerunt, quam sollempnita-

innitatem multa cum latitia prope vtriusque sepulcrum repetiisse, ferunt. Ad sepulcrum *Estheræ* in festo purim multos Judæorum accedere, testatur auctor cipporum, קורן לשם המצילה ואכלים, *legentes ibi Megillam* (librum *Estheræ*) *comedentes, bibentes & letantes ibidem*, p. 77. Eandem festiuitatem agitarunt prope sepulcrum *Mardochei*, מתקבצים שמה ביום פורים, והלכיים למקום קבורתו ואומרים שירות ותשבחות בתופים ובמחלות וששירים, *congregantur eo die purim, vadentes ad locum sepulcri ipsius, concinentes cantica & hymnos cum tympanis ac choreis*, id p. 81. Equidem verum est, in cippis memorari tantum sepulcrum *Estheræ* & *Mardochei*, sed BENJAMIN perhibet sepulcris synagogas adstructas fuisse, ושם לפני כנסת אחת קבורים מרדכי ואסתר, *ibi ante synagogam aliquam terræ mandati sunt Mardocheus & Esther* p. 96.

## §. 8.

Quæritur autem, quæ ratio fuerit, quare contra religionis suæ principia & antiquorum patrum institutum eo sint prolapsi, ut sanctis demortuis hunc honorem habuerint, ipsorum sepulcra adierint, precesque ibidem ac supplicia ad deum adle-



adlegauerint? Respondemus, id sensim ac paulatim esse factum. Qui semel regiam virtutis relinquit viam, ille modum ponit nullum. ab vno in alium errorem præceptum agitur, nec ante finem facit, quam ad præcipitum fuerit ductus; vnde regredi, seque ad rectam viam recipere eo est difficilius, quo magis istiusmodi homo sibi persuadet, se in recta via esse. Apud Judæos inde ab antiquissimis temporibus illam obtinuisse consuetudinem, vt sepulcra cippis, statuīs atque inscriptionibus ornarent, tum vt suum in defunctos amorem testarentur, tum quo illorum memoriam quam maxime longam facerent, &, si pote, cum omni posteritate æquarent, §. V. est demonstratum. Istius modi statuam Rachelis monumento impositam fuisse & ad suam vsque memoriam superasse, testatur MOSES Gen. XXV. 20. LXX. vocem מעבה conuertunt per *עלה*, quæ, siquidem tum temporis litteræ iamdum in vsu fuerunt, quod multa se probabilitate commendat, inscriptionem quandam præ se tulit. Num vero illa per tot sæculorum decursum ad ætatem vsque Benjaminis, qui illius itin. p. 47. meminit, perdurauerit, suo loco relinquimus. Nec contenti statuīs & cippis, verum etiam aliquando monumenta virorum virtute & rerum gestarum magnitudine illustrium superbis subscriptionibus decorarunt: cuius rei luculentum

tum habemus exemplum in mausoleo, quod *Simon* Maccabæus patri & fratribus suis *εἰς ὄνομα αἰώνιον* excitandum curavit I. Macc. XIII. 27-29. Quod illorum studium cum tempore incrementa sumfisse, adparet ex increpatione Christi Matth. XXIII. 29. quo in loco, quoniam dominus ab inuicem distinguit *οικοδομεῖν* & *κοσμεῖν*, colligere licet, prophetis & iustis non solum noua monumenta parasse, verum etiam quæ vetustate vitium aliquod ceperant, instaurasse ac ornasse. Neque Christus ipsos propterea reprehendit, quod pietatem istam viris sanctis præstarent, sed quod hoc ipso suspicionem incautæ plebi suggerere niterentur, se animis longe a sanctitia maiorum suorum, qui homines istos sanctos neci dedissent, abesse, cum tamen eodem furore in veritatis doctores, dei legatos, se & fidissimos suos internuntios, adfecti essent. Quod, examinatis aliorum sententiis, erudite demonstratum dedit Jo. Frider. Eckhard, V. C. pecul. dissertat. de *ædificatione atque exornatione sepulcrorum*, hab. Jen. 1746. Scilicet moris fuit apud Judæos, sepulcris virorum sapientia, sanctitate ac dignitate conspicuorum ædificia quædam superstruere, quæ ipsis *מִשְׁכָּנֵי* dicebantur, procul dubio inde, quoniam corpora ac reliquias demortuorum hominum clauderant, de



de Jud. Synag. prope sepulcra. 631

de quibus pluribus agunt POCOCCIVS,  
*not. miscell.* p. 75-78. HOTTINGERVS de  
*cippis* p. 68. 69. VITRINGA *obs. sacr.* L. I.  
 c. V. §. 7. 8. p. 209. 211. JO. NICOLAI  
 de *sepulcr. ebr.* L. IV. c. V. p. 246. 250.  
 JO. GODOFR. LAKEMACHERVS *obs.*  
*philol.* P. VIII. *obs.* V. §. 3. 4. p. 212-219.

§. 9.

Ab his igitur monumentis sepulcralibus  
 synagogas Judæorum prope sepulcra ori-  
 ginem suam habuisse, fidei est propius.  
 Judæos sepulcra virorum sanctorum adiisse,  
 ex iis, quæ in superioribus disceptata  
 sunt, videre est. Potissimum id fiebat  
 tempore grauioris ieiunii, & id quidem,  
 quod doctores gemarici definiunt, partim  
 quo se mortuos non minus ac illos, ni  
 resipiscerent, reputarent, partim quo  
 mortui misericordiam dei pro se efflagita-  
 rent, conf. DAN. LVNDIVS ad taanit p.  
 15. 16. Nec pro re nata abstinuerunt se-  
 pulcris illorum, qui ab ipsorum religione  
 erant alieni, quos tamen de se bene me-  
 ritos existimabant, sicque hac ratione  
 pietatem suam publice testatam facere vo-  
 lebant. Cum, Jul. Casare interfecto, v-  
 niuersalis luctus consequeretur, etiam Ju-  
 dæi officio suo deesse noluerunt, qui, re-  
 ste SVETONIO Cæs. c. LXXXIV. *etiam*  
 T. III. P. IV. Ss no-



*notitiis continuis* BVSTVM FREQUENTA-  
 RVNT. Qua demum cumque de causa  
 id fecerint, siue ut veram animi tristitiam  
 publico quodam documento declararent,  
 siue ut amicis Cæsaris adblandirentur, il-  
 lorumque auram captarent; id saltem con-  
 stat, ipsos sepulcreta, etiam gentilium,  
 non ita horruisse, ut illa adire religioni  
 sibi duxerint. Porro & illud constat, i-  
 psos prope sepulcra preces fudisse, quod  
 præter exempla in supp. prolata confir-  
 mari potest precum formula, quam ex  
*Salomone bar R. Nathan* producit erud.  
 POCKIVS c. 1. p. 204-206. qua Judæ-  
 us, prope sepulcrum prophetarum, do-  
 ctorum, aut piorum constitutus, depre-  
 catur deum, ut resurrectionem piorum  
 acceleret, iis summam gloriam ac beati-  
 tudinem largiatur, seque illis aliquando in  
 sempiterna lætitia adsociet. A quo tempo-  
 re vero in illam ingressi sunt opinionem,  
 animas demortuorum sanctorum notitiam  
 eorum habere, quæ in terris agantur, i-  
 psorum iustitiam in aliorum rationes trans-  
 scribi, ac illius vi peccatorum veniam at-  
 que omnis generis beneficia impetrari  
 posse, se in illorum sepulcra pronos proli-  
 cere, illis oscula figere, eosdemque pre-  
 cibus suis compellare cœperunt. Quan-  
 tum fiduciæ in meritis sanctorum suorum  
 ponant, quos pro se apud deum interce-  
 dere,



dere, sibi que bona quæque procurare arbitrantur, GAVLMINVS evidentibus in medium adductis exemplis it probatum, not. ad libr. de *vita & morte Moſis* L. II. c. III. p. 160-165. pluribus id egit diligentissimus JO. ANDR. EISENMENGERVS *detect. iudaism.* P. II. c. IV. p. 277-281. itemque JO. JAC. SCHVDT memorab. iud. L. VI. c. 38. p. 367. 368. Existimaret aliquis, preces has in cassum fuisse emissas, cum tanto spatio sancti isti sint seiuncti, nisi quis opinetur per internuntios ad ipsos fuisse delatas, propterea statuunt, ipsos illos sanctos se aliquando præsentibus sistere, orantium preces excipere, suæque virtute efficere, ut votorum suorum compotes euadant. Iuvat hanc in rem allegare verba, quæ ex epistola quadam, Hierosolymis missa, enotavit HOTTINGERVS. Tradunt, inquit, cum vel ibi, sc. prope sepulcrum Hoseæ prophetæ, vel vicinis locis preces concipiantur, animas defunctorum illorum sanctorum patrum, prophetarum, Tanneorum, & aliorum innumerorum, quorum sepulcra ob defectum צִיְוִן cipporum sunt ignota, per lumen quoddam adparere, & secum loqui, not. ad cipp. p. 61. Sententiam Judæorum de animabus demortuorum circa sepulcra diuagantibus, proque viuis intercedentibus, iisque gratiam dei conciliantibus, prolixè exponit VITRINGA

p. 122-124. addatur NICOLAI c. l. p. 253.  
 254. Quando igitur Judæi, vt precibus vacarent, ad sanctorum sepulcra se receperunt, quo aduersus æris iniurias tuti essent, vel se contulerunt intra ædículas, sepulcris superstructas, vel alias de nouo exitauerunt, eodem modo, quo ædes Christianorum sacræ plurimæ originem duxerunt ex horum conuentibus prope sepulcra martyrum. His igitur semel constitutis, in illis proseuchis ea peragere poterunt, quæ in synagogis facere solebant: quin imo reuera peregrisse, in suppliciuicinus.

§. 10.

Liceret iam huic commentationi coronidem imponere, sed breuibus notasse iuuabit, in illis, quæ de Judæorum deuotione prope sepulcra, vel etiam synagogis prope illa adhuc in medium protulimus, imitamina quædam atque vestigia institutorum gentilium animaduerti. Ne quid dicam, de sepulcrorum ornamentis, statuis sepulcralibus, ædiculis iisdem superstructis, quibus rebus pariter delectabantur gentiles, sufficiat in præsentia vnicum Solonis exemplum adduxisse, quem tanto Athenienses prosecuti sunt honore, vt non solum aneam statuam ipsi in foro poni curauerint, verum etiam publicis sum-



sumtibus sepulcrum ipsi multis sumptibus  
 excitarint, idemque illud muro circum-  
 quaque cinxerint: ἐθαψαν αὐτῷ δημοσία πα-  
 ραι τὰς πυλάς πρὸς τῷ τείχῃ εἰσιόντων, καὶ  
 ΠΕΡΙΩΚΟΔΟΜΗΤΟ αὐτῷ Ὁ ΤΑΦΟΣ, AELIA-  
 NVS H. V. L. VIII. c. 16. Alia exempla  
 suppeditant JO. KIRCHMANNVS de fu-  
 nerib. Rom. L. III. c. 16. p. 446. 448. JAC.  
 GVTHERIVS de iure man. L. I. c. 18.  
 p. 108. L. II. c. 20. p. 306. Septum aliquod,  
 vel etiam hortum ambitu suo conclusisse  
 synagogam structam prope sepulcrum,  
 monstrauius ex inscriptione græca, apud  
 SPONIVM §. 4. Apud paganos monumen-  
 ta sepulcralia peculiari ratione consecra-  
 bantur, qua de causa illa sancta & inui-  
 olabilia habebantur, quod SALMASI-  
 VS not. ad consecr. templi in agro Herodis  
 p. 108-110. obseruauit, qui simul notat,  
 Herodem, quo maiorem monumento  
 religionem conciliaret, sacellum Neme-  
 fis & Mineræ adiunxisse. Locus, qui  
 sepulcrum continebat, arboribus conse-  
 rebatur, qui muro munebatur, græcis di-  
 ctus ἐρκος item περιβολος id. p. 103-105. Et  
 quem fugit, fere pleraque gentilium  
 templa sepulcris suam debere originem,  
 ubi enim sepulti erant heroes, quique  
 tandem in deorum concilium adlecti erant,  
 magnificas moles, diis suis nouitiis sa-  
 cras, excitabant, quare primi christiani



gentilium templa *busta* adpellabant. Id ipsum extra omnem dubitationem ponit ARNOBIUS adu. gentil. L. VI. p. m. 229. edit. Elmenh. & ad vniuersalem consensionem scriptorum prouocat. *Quid quod multa, inquit, ex his templa, quae tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas?* Concludit hinc: nonne patet, & promptum est, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiablem feri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum superlata sunt BVSTIS. Ipsum illud in seqq. pluribus prolatis testimoniis & exemplis dat euictum. Consuli possunt HERALDVS & WOWERVS ad *Minuc.* p. 76. qui gentilium templa a Christianis *busta* dictitata esse adseuerant, vel quia mortuorum cadauera illis fuerint illata, vel quia ante exstiterint sepulcreta, vel quoniam mortuorum umbras in iis oberrare existimarint, conf. SPENCERVS de leg. ritual. ebr. L. III. c. i. diff. VI. sect. 5. p. 294. Porro, vbi id, quod §. 5. de sepulcrorum restauratione, mense Adar facta, attentius mecum reputo, videor mihi in eo imitamentum aliquod profanarum gentium consuetudinis videre, cum alias nulla ratio dari possit, quare hunc mensem, non alium, huic negotio destinant,



narint. Mensis ebræorum *Adar* respondet ex parte *Februario*, sed hic, iudici-  
bus VARRONE, FESTO, AVGVSTINO  
de ciu. dei L. VII. c. 8. a *februando*, id est,  
*purgando & lustrando* est dictus. Quam lu-  
strationem, alii hoc mense factam fuisse  
dicunt per lupercos, nudos discurrentes,  
mulieresque februant, alii piaculum  
diis manibus datum esse contendunt, quod  
COQVEVS ad *Augustinum* p. 634. adnotat,  
per duodecim continuos dies Februarii  
pro impetranda mortuorum quiete, o-  
mnem populum piaculis sacrificiisque cir-  
ca sepulcra accensis facibus cereisque in-  
tentum fuisse. Quod posterius disertis  
testimoniis CICERONIS & OVIDII com-  
probari potest. Quorum ille de *legibus*  
L. II. c. 21. ex iure pontificio pronunciat:  
*Februario mense, qui tunc extremus anni*  
*mensis erat, MORTVIS PARENTARI vo-*  
*luerunt.* Plenius aliquanto & distinctius  
hoc exponit posterior, ubi, rationem ad-  
pellationis mensis huius daturus, canit:

*Aut, quia placatis sunt tempora pura se-*  
*pulcris,*

*Tunc cum ferales præteriere dies.*

*Omne nefas omneque mali purgamina*  
*causam*

*Credebant nostri tollere posse senes.*

L. II. fast. v. 33-36. Plura testimonia qui desiderat, adeat LOMEIERVM de *lustrat. veter. gentil.* c. XXXVIII. p. 366-367. coll. p. 24. 25. Equidem nolim hæc quisquam ita a me dicta accipiat, ac si etiam Judæi hac sua cura demortuorum animabus requiem atque purgationem adferre voluerint, a qua sententia tum temporis alienos fuisse, non sine ratione censemus. Qui in quibusdam momentis conueniunt, illi non statim in omnibus conuenire sunt dicendi, habemus saltem rationem conuenientię temporis. Addimus, quemadmodum prisca Romani mense Februario annum terminabant, & ipso exeunte purgationem sordium superiorum instituebant, quo sic puri nouum ingrederentur: ita pariter dici potest, Judæos sub finem anni sacri, qui Februario terminabatur, istiusmodi purgationem suscepisse, non quidem ratione defunctorum, sed respectu viuentium, qui, nouis signis prope sepulcra positos, cauere sibi poterant, quo minus labis aliquid ab illis ad ipsos transfiret.





## II.

JOH. NICOLAI FVNCCII,  
 MARBURGENSIS,  
 DE  
 VETERVM ROMANORVM  
 PER FILIVM DEI  
 IVRANDI  
 CONSVETVDINE,  
 DISSERTATIO.

*Conspectus.*

- §. 1. **R**omani iurare consueverunt per Herculem & Dium Fidium. 2. Per hunc etiam obtestari. 3. Vario- rum de iurisjurandi formula sententie. 4. Dii Fidii simulacrum describitur. 5. Cuius at- que Hercules plurima Romæ sacella. 6. Ori- go ex Sabinis demonstrata. 7. Dius Fidius cum fide non confundendus. 8. Cuius Romæ sacra pecularia. 9. Dii fidii nomen generale & sanctum. 10. Sed Hercules proprium. 11. Eiusdem vero nominis esse plures. 12. E-

*undem semper illius iurisiurandi sensum.*  
 13. *Eandemque formam.* 14. *Totius fabulæ*  
*explicatur ratio.*

## §. I.

**C**um veteres Romani dicta promissaque sua, ut religioni viderentur esse sibi, adhibito numine diuino, firmare solerent: viris pulchrior sanctiorue non potuit esse iurisiurandi formula, quam per filium Dei, ut *Hercle*, *Mehercule*, aut *Medius fidius* dicerent: quæ inde perauulgata sunt in comicorum & tragicorum monumentis vocabula: & nihil aliud innuunt, eo dicendi, compendio, quam *ita me Hercules*, aut *Dei filius iuuet*. a) Neque aliorum **TERVLLIANVS** b) meminit, ubi Christo & vero Deo deuotis profanas gentilium deiterationes dissuadet: *consuetudinis*, inquit, *vitium est*, *Mehercule dicere*, *Mediusfidius*, *accedente ignorantia quorundam, qui ignorant, iusiurandum esse per Herculem*. Istud quidem, vel propter numinis virtutem, religiose viris seruandum, ut illo vix cuiquam sexus sequioris uti licuerit. Certe in

a) Vid. **FESTVS**. v. *mecastor*. Pl. confer. **BRISSONVS** de formulis l. 8. c. 1.

b) De idololatria c. 20.



in veteribus scriptis, A. GELLIO teste,  
 c) neque mulieres Romanæ per *Herculem*  
 deierant, neque viri per *Castorem* : quod  
 huius sacra feminæ ex initiis Eleusiniis  
 acceperunt; ab illius vero abstinent sacri-  
 ficio : vt nusquam apud idoneos scripto-  
 res inueniatur, aut *mehercle* feminam di-  
 cere, aut *mecastor* virum. *Ædepol* autem,  
 quod iusiurandum est per *Pollucem*, ex in-  
 curia, viris cum mulieribus commune  
 est. Attamen PHÆDRVS d) *Mineruam*,  
*me Hercule* dicentem, proponit : quod  
 qua ratione potuerit, alibi e) docuimus.  
 Nihil viris vsu magis venit, quoties alio-  
 rum persuasione diffidentes, verbis fidem  
 cupiunt facere suis, quam istud *me Hercu-*  
*les*, vel, quod mihi videtur vnum idem-  
 que esse iusiurandum, *me Dius Fidius* sc.  
 adiuvet: quamuis, Romanorum ritu ve-  
 tusto, qui per *Dium Fidium* iurare volue-  
 runt, ex ædibus in publicum prodire  
 consueverint. f) Balbus ad Ciceronem  
 scri-

c) Noct. Attic. l. 11. c. 6.

d) Lib. 3. fab. 17. v. 8.

e) Apologia pro Phædro eiusque fabulis pag. 62.

f) Vid. PLVTARCHVS quæstionibus centuriatis  
 Romanis c. 28. & VARRO de lingua Lat. l. 4.  
 c. 10. ex cuius libro de liber. educat. hic locus a  
 grammaticis citatur: *itaque domi, ritu nostro, qui*  
*per Dium Fidium iurare vult, prodire solet in*  
*publicum.*

scribit: g) *Cæsari gratum, mihi vero gratis-*  
*tissimum, medius fidius, fecisti.* Ad Me-  
 scinium CICERO: h) *unum, medius fidius,*  
*tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne*  
*tempus cum plerisque eorum, quibuscum viuo*  
*neccessario.* Ad Trebatium: i) *Rufio, me-*  
*dius fidius, tuus ita desiderabatur, ut si esset*  
*unus e nobis.* Cæcina. k) *scripsi de te parce,*  
*medius fidius, & timide.* Et Cælius: l) *quod*  
*porro tuum consilium sit, ad desperatos acce-*  
*dere, non, medius fidius, reperio.* PLINI-  
 VS: m) *hominemne Romanum tam Græce lo-*  
*qui? non, medius fidius, ipsas Athenas tam*  
*Atticas dixerim.* Rursum CICERO publice  
 pro rostris testatus est: n) *mibi, medius*  
*fidius, in tanto omnium mortalium odio, iusto*  
*præsertim & debito, quævis fuga potius, quam*  
*ulla provincia esset optatior.*

## §. II.

Neque solum iusiurandum, sed ipsa  
 etiam per Dium Fidium obtestatio vel ob-  
 secratio longe omnium videbatur esse ad  
 rem

g) Apud CICER. ad Atticum l. 8. ep. 15.

h) Ad diuers. l. 5. epist. 21. n. 3.

i) Lib. 7. epist. 20. n. 1.

k) Ad CICER. l. 6. ep. 7. n. 5.

l) Ad CICER. l. 8. epist. 16. n. 8.

m) Lib. 4. epist. 3. n. 5.

n) Orat. in L. Pisonem c. 14. extr.



rem quamcunque obtinendam fortissima.  
Ita apud PLAVTVM o) Demænetus  
fenex :

*Per Deum Fidium quaeris. Jurato mihi  
Video necesse esse eloqui, quicquid roges :  
Ita me obstinate aggressus, ut non audeam  
Profecto, percunctanti quin promam omnia.*

Sic obtestaris me per Deum Fidium: cuius numen cum fallere verear, necesse est omnia tibi, tanquam iuratus, dicam.

§. III.

Vt raro vnum sentiunt omnes, fuerunt & olim, qui *medius fidius* existimarunt iusiurandum esse per diui fidem; alii, per diurni temporis, i.e. diei, fidem. p) Fides autem Ciceroni, apud NONIVM q) videtur nomen ipsum habere, cum sit, quod dicitur. Hoc mihi quidem acute magis, quam vere dictum videtur: cum satis aperte *fides* a notissimo verbo *fidere* descendat: vnde *fidius* Deorum hominumque nemo vnquam appellatus fuit. r) Ecquis sibi persuaserit, fuisse, qui vulgo istud

o) Afm. A. I. S. I. v. 8.

p) Vid. FESTVS v. *medius fidius*.

q) Cap. I. n. 94.

r) Vt MARTINVS lex. etymolog. v. *Fidius*. Eum arbitratur dici Iouis filium, quasi fidei deum.

istud fatis notum per Herculem, seu Iovis filium, iusiurandum, *me Dius Fidius*, de medio quodam filio interpretari voluerint. Atqui SERVIVS ad illud Virgilii, s) *media inter numina diuum*, idem esse scribit, *ac si diceret, diis testibus: ut Sallustius, quam medius fidius veram licet mecum recognoscas. Id est, sis dictis medius, id est dios vios, id est Iovis filius.* Ad illud vero Maronis, t) *communemque vocate Deum*, mirum in modum hæsitat, eamque novam & inauditam peruvulgatæ formulæ significationem ulterius exponere non veretur: & Herculem a poeta communem vocari deum ostendit: *aut quia Argivus est Hercules, ut supra dixit Æneas, tam Græcos quam Troianos de vno sanguinis fonte descendere: Aut communem dixit inter deos atque homines, unde medius fidius dictus: Aut viri- usque naturæ medium, id est, inter mortalitatem & diuinitatem. Sunt enim numina aliqua tantum cælestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos deos Apuleius medioximos vocat, hoc est, qui ex hominibus dii sunt. Alii communem deum ideo dictum volunt, quia secundum pontificalem ritum idem est Hercules, qui & Mars. Haud difficulter autem quisque vel mediocriter doctus, videre ac*

s) Æneid. 1.4. v.204.

t) Æneid. 1.2. v.275.



ac intelligere potest, hanc iurifiu-  
randi formam eandem esse quæ simi-  
lium, *me Hercules, me Castor, &c.* vbi  
verbum subaudiatur, *iuvet, adiuvet, ser-  
uet*, aut eiusmodi aliud, quod ellypsin,  
illam quidem satis apertam, supplere va-  
leat. v) Neque aduersa opituletur, *faueat*,  
*subueniat*, &c. nam *me*, pro mihi, dice-  
bant antiqui. x) In aliis, quod Græci iu-  
rantes per *μη* vel *νῆ*, exprimebant, Ro-  
manorum sistit in compositione *me & e.*  
y) *Mediusfidius*, *νῆ τὸν ἡεανθεα*. *Ejuno, Equi-  
rine, Ecere, Epol, Ecastor.* Neque ego  
MARLIANI, z) viri in Romanis antiqui-  
tatibus versatissimi, satis possum mirari  
oscitantiam. *Sanctus*, inquit, *Fidius*, *di*  
*fuerunt Sabinorum*, quos domo demigrantes in  
collem *Quirinalem* cum cetera suppellectile de-  
tulerunt, idque numen verbis trinum, re uni-  
cum esse dixerunt. Vnde licet tribus ipsis esset  
in eodem colle templum dicatum, unicus tamen  
Sancti vocabulo appellabantur: obtinuitque hu-  
iusmodi nominis opinio sanctitatis magnam vim  
habere iusiurandum, quo in trino & unico nu-  
mine medium esse quis *Fidium* affirmaret.  
Quasi vero iam tum Sabinis aut veteribus  
Roma-

v) Vid. ex Festo PAVLVS v. *mecastor*.

x) FESTVS v. *Me*. LAVRENBORGIVS antiqua-  
rio v. *me* p. 270.

y) Vid. MARTINII lex. etymolog. p. 628. v. *e*.

z) Topograph. Romæ c. 97.

Romanis sacro sanctum trinitatis mysterium innotuerit. GOROPIVS BECANVS, a) vt mira tradidit omnia, ingenio nimis indulgens suo, Iouem ipsum, arbitratur, Dium Fidium fuisse dictum, quod ipsi fides ita sacra sit, vt qui eam non seruet, is Iouem ultorem sit experturus. Neque aliter suo tempore PEROTTVM b) sensisse video, qui recte quidem *medius fidius* notat sicut *mebercules* dici, h. e. per Deum Fidium: non satis vero accurate subiungit formulæ istius causam, Fidium Deum esse, qui fidei præsit. Neque ab eodem errore VOSSIVS, c) ille criticorum princeps, cauere sibi potuit: vbi enim Deos inter Romanorum indigetes Semonem sanctum refert, eum notat *Fidium* quoque fuisse dictum, quia per eum iurando fieret fides.

## §. IV.

*Dius Fidius* Sabinorum dicitur fuisse Deus, qui & *Sancus*, *Sangus*, & *Sabus* nominaretur, præses ac tutelarior Deus fidei, per quem iurare consueuerint *medius fidius*. Fidei tutelam ei commissam fuisse, ac iurifurandi, VINCENT. CHARTARIVS d) probat ex antiquo marmore, in fenestra

a) Hermathenæ l. 7. p. 170. Vertumno p. 97.

b) Cornu copiae p. 17. v. 34. edit. Ald.

c) Idololatriæ l. 1. c. 12. p. m. 28.

d) In imagin. Deorum imag. 21.



modum in sculpro, cui tres erant effigies, dimidia corporis parte superiore incisæ: quarum dexterior hominis imaginem referebat togati, cum literis *honor* ad latus; sinisterior mulieris eodem vestitu pacifico, seu stolatæ, lauro coronatæ, literis adscriptis *veritas*. Hæ duæ effigies dextras iungebant: inter quas puer erat venusta & liberali forma, additis supra caput literis *Deus Fidius*. Supra pueri caput inscriptus *amor* legitur, & superius hic titulus toti emblematis adscriptus, *fidei simulacrum*. Inprimis vero elegans est apud STEPHANVM VINANDVM PIGHIVM denariorum effigies, quos Romani Pœnis apud Tarentum profligatis, cum nota VER. CAR. *versute Chartaginis*, ex manubiiis cusos euulgarunt. Ostendunt in vno latere Dium Fidium, publici custodem fœderis ac fidei. Caput est adolescentis imberbe, laurea coronatum, sub cuius collo fulmen trifidum iacet: quod telum Iouis est, fraudes atque periuria vlciscentis. In altero denariorum latere, videmus supra literas Iouem in quadriga, qui fulmen dextra vibrat. Currentes autem quadrigæ bigæ significare solent numinis, quod illas regit, vim maximam agentem & T.III. P.IV. Tt pro-

e) Annal. Roman. tom. I. p. 453. confer. RHODIGIVS lection. antiq. l. 22. c. 14. p. m. 1244

promouentem in aliquem boni vel mali effectum. Iuppiter autem maxime fulmen vibrat, i. e. pœnas versutis ac scdifragis intentat: in cuius templo Capitolino scderum, cum regibus & populis initorum, tabulæ custodiebantur.

## §. V.

Dio Fidio illi, siue Herculi, siue Sancio, passim in vrbe Roma dedicarunt sacella. Apud SEXTVM RVFVM f) ostendit regio, Isis & Moneta inscripta, ædiculam *Sangi Fidoni*; Exquilina cum colle Viminali ædiculam *Herculis*; alta semita ædes *Diui Fidii*, ædiculam *Sangi & Herculis*; via lata vicum *Sangi*, alias *Sanci*, & sacellum *Genii Sangi*; circus maximus templum *Herculis & Herculem Oliuarium*. Sunt apud P. VICTOREM g) regione quinta, quæ Exquilina cum turri & colle Viminali, *Hercules Siluanus* alias *Sullanus*; regione sexta, quæ alta semita, ædes *Diui Fidii* in colle; regione nona, quæ circus Flaminius, ædes *Herculi* magno custodi circi *Flamini*; regione vndecima, quæ circus maximus, ædes *Herculis Oliuari*, alias *Hercules Oliuarius*, & *Hercules triumphans*.

f) De regionibus vrbis libello.

g) De regionibus vrbis Romæ libro.



umphalis; regione duodecima, Aventi-  
no, vicus *Fidii*, & ædes *Herculis* & Sil-  
uani. Apud ONVPHRIVM PANVINIVM,  
h) regione prima, quæ porta Capena, re-  
periuntur ædícula *Herculis*; regione tertia,  
quæ Isis & Serapis Moneta, ædícula *San-  
gi Fidii*; regione quinta, Esquilina cum  
turri & colle Viminali, ædícula *Her-  
culis*; regione sexta, alta semita, ædes  
*Diui Fidii* in colle, alias Sancti Fidii Semi-  
patris & ædícula *Sangi*, in qua lana, co-  
lus, & fusus Tanaquildis; i) regione se-  
ptima, via lata, vicus *Sanci*, & sacellum  
*Genii Sangi*; regione octava, quæ forum  
Romanum, ædes *Herculis* victoris parua  
& rotunda in foro boario, signa duo *Her-  
culis*, alterum a P. Sempronio Sauerione  
dedicatum, alterum æreum, opus Lysip-  
pi, a Q. Fabio Maximo Tarento deue-  
ctum, & signum *Herculis* tunicati iuxta  
rostra; regione nona, circo Flaminio, fi-  
gnum *Herculis* humi sedentis, in Pantheo  
Jouis vltoris, ædes *Herculis*, magni custodis  
circa Flaminii, & ædes *Herculis* Musarum;  
regione vndecima, circo maximo, templum  
T t 2 Her-

h) Urbis Romæ descriptione l. 1. p. m. 75. seqq.

i) Et PLINIUS hist. nat. l. 8. c. 48. ex Varrone re-  
fert, quod esset in Sangi templo Tanaquil, siue  
Caia Cæcilia, cum colo & fuso. Meminit istius  
statuæ FESTVS quoque v. *Prædia* & probe notat  
Sanctum, vel Sancum, Dium Fidium vocari.



*Herculis* victoris in foro boario, & *Hercules* triumphalis; k) regione decima tertia, Auentino, vicus *Fidii* ædes *Herculis* & *Silvani*, ædícula *Fidii*; regione decima quarta, trans Tiberim, templum *Herculis* Defensoris, & templum *Herculis* via Latina. Teste MACROBIO, l) Romæ *Herculis* victoris, quem Varro m) ita dictum putat, quod omne animalium genus vicèrit, templa fuerunt duo; vnum ad portam trigeminam, alterum in foro boario, in quod nec muscas, nec canes intrare fabulantur. n) Et BOISSARDVS scribit, o) *Herculis* victoris fanum in summo Auentino fuisse, quod suo tempore dictum S. Alexii, iunctum illi Lunæ sacellum, quod conspiciatur semidirutum. Notat MARLIANVS p) quoque in aditu circi Flaminii *Herculis* magni custodis templum: qui Flaminius arcus & altera decoratus est Her-

k) Ita dictus, quod per triumphos triumphali habitu vestiebatur. vid. PLINIVS hist. natur. l. 34. c. 7. init.

l) Saturnal. l. 3. c. 6.

m) Rerum diuinarum l. 4. apud MACROBIUM l. c.

n) Vid PLINIVS hist. natur. l. 10. c. 29. SOLINVS polyhist. c. 2. pl. confer. MARLIANVS topograph. Romæ c. 55. BOISSARDVS topograph. Romæ, antiquit. Rom. part. I. p. 27.

o) Rom. antiq. part. I p. 28. confer MARLIANVS topogr. Rom. c. 76.

p) Cap. 103.



Herculis Musarum æde, quod illi cum Musis esset communis. Hanc M. Fulvius Nobilior posuit, quod in Græcia Herculem Musagetem esse intellexerat, i. e. comitem ducemque Musarum: & primus nouem signa, vel omnium Camœnarum simulacra, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit: quia mutuis operibus & præmiis ornari atque iuuari deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis ipsa Musarum voce. q)

§. VI.

Dius Fidius ille, siue Hercules, siue Sancus, Sangus, Sanctus, aliove insignitus nomine, Sabinorum, Deus, r) a Reatinis plurimum colebatur, ubi etiam dicitur fuisse natus. DIONYSIUS HALI-

T. 3

CAR-

q) Vid. omnino PLVTARCHVS quest. Roman. 59.

Διὰ τὸ κοινὸς ἢ τοῦ ἱεροῦ Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν.  
Quare commune templum fuit Herculis & Musarum? EVMENIVS panegy. pro restaurandis scholis. c. 7.

r) LACTANTIUS l. 1. c. 15. n. 8. Privatim singuli populi gentis aut viris suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu femina castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt, ut Aegyptii Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabirum, Pæni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum.

CARNASSENSIS s) de eo hæc memoriæ prodidit. In agro Reatino, quo tempore Aborigenes eum tenebant, virgo quædam indigena, clarissimo genere prognata, choreas ducens, in templum Enyalii ingreditur. t) Vbi saltans puella repente afflatur numine diuino ac furore quasi corripitur, vt, chorea relicta, semet cursu in dei sacrarium proripiat. Hic, vt aiunt, a deo compressa & grauida facta filium peperit, nomine Modium, cognomine Fabidium: qui, cum ad virilem ætatem peruenisset, formam non humanam, sed diuinam habuit, & bellica virtute vnus omnium clarissimus fuit. Is cum vrbs condendæ captus esset cupiditate: magna ex agris finitimis collecta manu, breui Cures habitatoribus repleuit: a Deo, cuius dicebatur filius, vrbi nomine imposito: quamuis alii dicant, eam ab hastis nominatam fuisse, quas Sabini *cures* vocant. Et hanc Dionysius ait sententiam esse Terentii Varronis: Porcium vero Catonem scribere, nomen Sabinorum genti inditum a Sabino, quem alii vocant Sabum, filio Sami, qui

s) Rom. antiq. l. 2. c. 6. p. m. 170. Suaque inde haufit JOH. ROSINVS Rom. antiq. l. 2. c. 22. vbi inter alios deos peregrinos de Sancto, vel Deo Fidio agit.

t) Enyalium Sabini, & Romani, ab illis edocti, Quirinum, vel Martem appellant.



qui fuerit loci illius genius. Hunc autem Samum, alii Semum, vel Semonem, a nonnullis Dium Fidium vocari. At *Semi*, *Sami*, vel *Sabi*, *patrem*, *Sancum*, *Sanctum*, ac Deum Fidium esse dictum, OVIDIVS v) memoriae prodidit: vt *Sancus*, *Sabinorum* deus & auctor, *genti* originem, *filius Sabus* nomen dedisse videatur. SILIVS ITALICVS, x) vbi de *Sabinis* loquitur:

*Ibant & læti pars Sanctum voce canebant  
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,  
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus  
Dixisti populos magna dititione Sabinos.*

S. AVGVSTINIVS: y) *Sabini etiam regem suum primum Sangum, siue etiam, vt aliqui appellant, Sanctum retulerunt in Deos.*

§. VII.

Anno ab vrbe condita CCLXXXVII. Nonis Junii Spur. Postumius, consul in colle Quirinali ædem Dii Fidii, ab vltimo Romanorum rege Tarquinio superbo constructam, nec tum ab illo, ex more populi Romani, consecratam, solemnii ritu

T t 4

de-

v) Fastor. l. 6. v. 214.

x) Punic. l. 8.

y) De ciuitate Dei l. 18. c. 9.

dedicauit. z) Noli ergo Dium Fidium confundere cum Fide, a Romanis culta Dea: de qua CICERO: a) *res ipsa, in qua inest vis maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus: ut Fides, quam in Capitolio dedicatam videmus proxime a M. Emilio Scauro, ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata.* Imo proximus a Romulo Romanorum rex, Numa Pompilius, primus omnium mortalium, Fidei templum erexit, eique sacrificia instituit: ad cuius sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi iussit, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere, quod fides tutanda eiusque sedes in dextris etiam sacrata esse debeat. b) Res adeo veneranda & inuiolabilis habebatur, ut sua cuique fides maximum esset iusiurandum, quod omni testimonio longe validius. Et quo-

z) DIONYSIVS HALIC. Roman. antiq. l. 9. c. 11. extr. p. m. 914. Conf. FIGHI annal. Rom. tom. I. p. 120.

a) De natura Deorum l. 2. c. 23. Idem de legibus l. 2. c. 11. *Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque diuinorum. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecratur manu: quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt: ut ille qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent.*

b) LIVIVS l. 1. c. 21.



quoties de contractu, sine testibus facto, controuersia oriebatur, ipsa fides alterius partis litem dirimebat statim, neque ulterius contentionem progredi patiebatur.

c) Ita apud DIONYSIVM HALICARN.

d) M. Flauoleius quidam ordinis plebei, sed strenuus vir atque fortis, *stricto gladio, eoque sublato, iuravit iusiurandum, quod apud Romanos est maximum, per bonam suam fidem, se non, nisi victis hostibus, in urbem reuersurum.* Et conspiciuntur cum alia numismata, tum Q. Cæcilii Metelli Balearici elegantissimi denarii cum Fidei & Copiæ simulacris. Vnum latus ostendit Fidei pulcherrimum corpus, oleagino seroto coronatum: quod fides pacis habeatur conseruatrici, adscripto nomine *Fides*. In latere nummi auerso stat Copia Dea papauer & spicas dextra tenens, sinistra lancem variis fructibus plenam: quod rerum vbertas & copia probitate ac bona fide parata

T t 5

no-

c) DIONYS. HALIC. Rom. antiq. l. 2. c. ult. p. m. 203.

d) Loc. cit. lib. 9. c. 2. p. m. 845. PLVTARCHVS Numa Pompilio p. m. 24. B. *Primum ferunt & Fidei & Terminum templum condidisse, ac Fidem iusiurandum demonstrasse Romanis maximum, quod etiam nunc utuntur.* Exempla cumulata vide apud BRISSONIVM de formulis l. 8. c. 1. p. 685. HORATIO carm. l. 1. od. 35. est albo rara Fides velata panno. Conf. JOH. WEITZII notæ ad Prudentii psychomachiam p. 683. extr.

nobis quietem vitamque securam præstare solet. e) In aliis denariis ostenditur Fides vna, duabus iunctis manibus: in aliis dextram dextræ iungentes adstant imagines duæ. Mutua enim illa requiritur fides, qua priuata ac publica res mirum in modum vbique iuuari & ornari videntur. Eoque videtur Æneas respexisse apud VIRGILIVM, f) vbi,

*Accipe, inquit, daque fidem. Sunt nobis fortia bello  
Pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus.*

Sed errant valde, mea quidem sententia, qui, vt fidei sit præses, Dium Fidium a fide dictum, arbitrantur. Noui, quod SCALIGER g) maxime vrget, *Dium Fidium* quem Latini vocant, a DIONYSIO HALICARN. h) *Δία πῆσιον* appellari. Atqui eum paulo post etiam noua numina recensere, quæ Tatius, Sabinorum rex, cum Romanis communicarit, & cum aliis propterea silentio transire ait, *quorum nomina Græco sermone efferre difficile esset.* i) Huic facile Romanorum omnium doctissimum

e) Vid. PIGHIUS annal. Rom. tom. 3. pag. 15.

f) Æneid. l. 8. v. 150.

g) Ad Varron. de lingua Latina l. 4. c. 10.

h) Roman. antiq. l. 2. c. 6.

i) Loc. cit. p. m. 172



simum VARRONEM k) opponere licebit, qui verborum in primis nouit significatio- nem, & *fidium* filium esse testatur: & glossarium vetus, vbi *Dius Fidius* Διὸς υἱὸς ἡρακλῆς.

§. VIII.

Sunt Fidei Deæ peculiaria Romæ Sa- cella, sunt & Dio Fidio, quæ supra enu- merauimus: vt numina ista quidem con- fundi nequeant. Apud SEXTVM RVFVM l) ostendit regio, quæ alta semita inscri- pta, templum *Fidei*; forum Romanum, *Fidem Candidam*. Apud V. VICTOREM m) reperies regione octaua, quæ forum Romanum, *Fidem Candidam*; regione de- cima, quæ Palatium, templum *Fidei*. A- pud ONVPHRIVM PANVINIVM, n) re- gione sexta, alta semita, reperitur tem- plum *Fidei*, regione octaua, quæ forum Romanum, ædes *Fidei* in Capitolio: & *Fides* candida; regione decima, Palatio, templum *Fidei*. MARLIANVS, o) Græ- corum nescio quorum fide innixus, Æne- am scribit cum Ascanio, eiusque filia Rho-

k) De lingua Lat. l. 4. c. 10.

l) De regionibus vrbs Romæ libello.

m) De regionibus vrbs Romæ libro.

n) Vrbis Romæ descriptione l. 1. p. m. 75. seqq.

o) Romæ topographia c. 27.

Rhoma, in Italiam venisse, & condidisse in Palatio templum Fidei, a puellæ nomine dicatum, sub hoc titulo, *templum Fidei*. Orta deinde multis post annis inter Romulum & Remum contentione de nomine urbis appellandæ, S. P. Q. R. placuisse urbem Romam a puella nominare, cuius elogium in templi frontispicio ex inscriptione legissent. Ab aliis memoria proditum, Rhomam Æneæ neptem, hoc templum posuisse: longis post seculis vetustate lapsum ab Augusto instauratum fuisse. DIONYSIVS HALICARNASSENSIS p) vero, de Numa Pompilio diserte, *Fidem*, ait, *qua apud mortales nulla res est aut maior, aut sanctior, animaduertit, nullos dum cultus vel apud resp. vel apud privatos homines consecutam. Hæc igitur cogitans NB. primus omnium mortalium templum Fidei publicæ erexit dicavitque, eique sacrificia instituit, ut & alius Dīs, quæ publico sumtu fiebant. Idemque LIVIVS q) testatur, ac probe notat, cum Fidei solemne a Numa institueretur sacrarium, ea pietate omnium pectora fuisse imbuta, ut fides ac iurandum, proximo legum ac poenarum metu, ciuitatem regerent. JOH. GOROPIVS*

p) Roman. antiq. l. 2. c. 9. p. m. 202.

q) Lib. 1. c. 21.



PIVS BECANVS r) *fidem* conatur a Germanico *Widen*, siue *Wien*, deriuare, quod nostrum *weyhen*, Latinis *consecrare*. Fidem enim, vt dicta omnia consecret, ac sanciat, siue sancta reddat, ita & ipsam perpetuo sacrosanctam esse habendam: vt qui eam violare ausus fuerit, sacrilegus sit iudicandus. Ac dictis standum esse, non ob id solum, quia faciendum sit, vt Cicero monet, quod verbis est conceptum; sed quoniam verba sic hominem obligent, vt si horum vinculum soluat, non modo contra hominem, sed contra ipsum etiam Deum peccet, cui fides consecrata.

§. IX.

*Dius Fidius* commune vocabulum omnium istorum est, qui Iouis credebantur, esse filii, atque adeo patri, Deorum summo, proximi. Mirum ergo nemini videbitur, Sabinorum qui sanctissimus habebatur, quemque indigenæ Sabini ab antiquissimis temporibus *Sangum*, Romani vero *Sanctum*, a sanciendo & *Semipatrem* vocabant, etiam *Dium Fidium* appellatum fuisse. Hinc OVIDIVS: s)

*Querebam, nonas Sancto, Fidione reserrem,  
An tibi, Semipater: tunc mihi Sanctus ait,  
Quicum-*

r) Hermathenæ l. 7. p. 170.

s) Fastorum l. 6. v. 214.

*Cuicunque ex illis dederis, ego munus habeo:*

*Nomina terna fero, sic voluere Cures.*

*Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,*

*Inque Quirinali constituere iugo.*

Et Porcius Cato, apud DIONYSIVM HALICARN. t) nomen Sabinorum genti inditum fuisse putat a Sabino, filio Sami, qui erat loci illius genius. Hunc autem Samum a nonnullis vocari *Dium Fidium*, *Δία πίδιον*. Samum vero istum Romani Semum & Semonem vocarunt. LIVIVS: v) Senatus Vitruvium in carcerem asseruari iussit, quoad consul redisset, tum verberatum necari: ædes eius, quæ essent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sango censuerunt consecranda: quodque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in Sacello Sangi, versus ædem Quirini. Vbi quidem alii legere maluerunt Semoni Sanco. x) Atque hinc etiam SCALIGER apud OVIDIVM y) censet esse legendum:

*Quærebam, nonas Sanco, Fidione referrem,  
An tibi Semo pater. - -*

Sunt

\*) Roman. antiquit. l. 2. c. 6. p. m. 171. Confer. ALEXANDER AB ALEXANDRO genial. Dierum. l. 5. c. 10. p. m. 655. cum TIRAQVELLI annot.

v) Lib. 8. c. 20.

x) Vid. JOS. CASTALIONIS observat. dec. 3. cap. 10.

y) Loc. supra citate.



Sunt inscriptiones Romanae vulgo notissimae : 2) SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM. Alia: SANCTO SANCO SEMONI DEO FIDIO SACRVM. Et Reatina: SANCO FIDIO SEMO PATRI. Ex quibus facile cuique patet, idem numen promiscue *Sanctum*, *Sancum*, *Sangum*, *Semonem*, & *Deum Fidium*, appellari. Hinc obortus B. IUSTINO MARTYRI a) insignis error, ut quia Samaritani suum Simonem magum pro sancto Deo haberent, statuat, Romae positam *Semoni Deo Sancto*, consecratam putaret Simoni mago.

§. X.

In primis Dius Fidius appellatur *Hercules*, quem & *Sanctum*, vel *Sancum* potius, a Sabinis dictum fuisse, apud VARRONEM b) Aelius Gallus testatur. Hinc vnum idemque iusiurandum TERTULLIANVS c) facit, *me Hercule* & *me Dius Fidius*, ut illa per Herculem deieratio

- 2) Apud GRVTERVM inscript. p. 96. n. 5. 6. 7. Confer. VOSSIUS de idololatr. l. I. c. 12. p. m. 33. CELLAR. not. ad Lactant. l. I. c. 15. n. 8. BE-TVLEJVS comment. ad Lactant. l. c. p. 51.
- a) In secunda pro Christianis apologia.
- b) De lingua Latina l. 4. c. 10.
- c) De idololatria c. 20.

tio ex ore Christiani non audiat. FE-  
STVS: d) *propter viam sit sacrificium, quod*  
*est proficiscendi gratia, Herculi, aut Sancio,*  
*qui scilicet idem est Deus: atque etiam, vt*  
*supra ex DIONYSIO HALIC. e) vidimus,*  
*appellatur Dius Fidius, i. e. Iouis filius:*  
*qua quidem honoris significatione Hercu-*  
*les κατ' ἐξοχὴν ornatur. Διὸς υἱὸς ἥρακλῆς. Ita*  
PROPERTIVS, f) vbi de Hercule & Ca-  
ci morte:

*Herculis eximii ne sit inulta sitis.*

*Sancle pater salve, cui iam fauet aspera Juno,*

*Sancle velis libro dexter inesse meo.*

*Nunc quoniam manibus purgatum sanxeras*  
*orbem,*

*Sic Sancum Tatiae composuere Cures.*

Nullum ergo videtur superesse dubium,  
idem Romanis fuisse numen Sancum, vel  
Dium Fidium, quem a Sabinis, in urbem  
receptis; atque Herculem, quem ab Ar-  
cadibus atque Pelasgis acceperunt, sola  
denominatione diuersum. Vnus omnium  
grauissimus testis VARRO: g) *Aelius Gal-*  
*lus, Dius Fidius, dicebat, Dionis filius,*  
*vt*

d) V. *propter viam*

e) Roman. antiq. l. 2. c. 6. p. m. 171. Pl. Conf.  
NIEVPOORT Roman. antiq. scet. 4. c. 1. §. 24.

f) Lib. 4. eleg. 10. extr.

g) De lingua latina l. 4. c. 10.



ut Græci Διόσκουρον Castorem: & putabant,  
hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Her-  
culem ab Græca. Neque alia ratione San-  
cus dicitur gentis Sabinæ fuisse auctor,  
quam quod Sabini a Lacedæmoniis essent:  
Lacedæmonii vero a Sanco, vel Sancto,  
i. e. Hercule, genus ducerent. Nam, te-  
ste PLVTARCHO, h) Sabini λακεδαιμονίων  
ἀποικιοι, Lacedæmoniorum coloni. Caus-  
sam plenius exposuit DIONYSIVS HA-  
LICARN. i) quo tempore Lycurgus, tu-  
tor e fratre suo nati Eunomi, leges Spar-  
tanis ferret, quosdam seueritatem earum  
exosos in Italiam nauigasse, qui postea  
dicti Sabini, a Sabo scilicet, qui coloniæ  
dux & princeps fuisse videtur. Lacedæ-  
monii vero τῶν Ἡρακλειδῶν ἀποικία, Hera-  
clidarum colonia. Quippe ex ipsorum  
traditione Hercules cum Hippocoontem  
Sparta expulisset, Tyndareo, patri Casto-  
ris & Pollucis, regnum velut fiduciarium  
tradidit. Octoginta vero annis ab Ilio  
capto, Tisameno, Orestis filio, Aga-  
memnonis nepote, regnante, id Heracli-  
dæ repetierunt: ac inde reges iis Heracli-  
dæ, quorum primi Procles & Eurysthe-  
nes, filii Aristodemi, qui Herculis abne-  
pos fuit. Nec facile, credo, gens anti-  
T. III. P. IV. Vv qui-

h) In Romulo.

i) Antiq. Roman. 1. 2.

quitus vlla, nisi ab immortalibus diis, originem suam repetere voluit. PLATONEM k) audiamus. Socr. *utrum consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere, quam ignobili?* Alcib. *manifestum, quod in nobili.* Socr. *nonne bene nati, si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perveniunt?* Alcib. *necessè est.* Socr. *consideremus itaque illis nostra comparantes: primum quidem, utrum Lacedemoniorum Persarumque reges ignobiliori, quam nos genere orti videantur. An ignoramus, illos quidem ab Hercule, hos autem ab Achemenes genus ducere? Hercules autem, & Achemenis origo ad Persem, Jovis filium, refertur.* Alcib. *Et nostrum quidem, o Socrates, in Eurysacem, Eurysacis in Jouem.* Socr. *atqui nostrum, o generose Alcibiades, in Dedalum etiam, Dedalus autem in Vulcanum, Jovis filium. Verum istorum maiores ab iis incipientes reges sunt ex regibus usque ad Jouem &c.*

## §. XI.

Jam tum ab antiquissimis temporibus usu venit, ut gentes quaque principes & heroes fortissimos, quos sibi persuaserunt summi numinis esse filios, Hercules voca-

k) Alcibiad. 2. oper. pag. 440. edit. Francofurt. 1602. fol.



carint. Sic vetustissimi perhibentur, Hercules Ægyptius, Phœnicus, siue Tyrius, l) Libycus, m) Creticus, siue Telchinus, n) Græci vix numerandi, Romanus, siue Sancus, o) Germanus, siue Celticus, p) plures alii, qui quidem, quotquot fuerunt, omnes assiduos ingentesque sustinuerunt labores, & vix superanda subierunt pericula: vt beneficiis longe maximis, quibus vbique genus humanum cumularunt, præmium immortalitatis referrent, atque non solum ad heroicis, sed plane diuinis honores eueherentur. Hinc fieri facile potuit, vt eadem stupenda omnium facinora omnibus & singulis tribuerentur, multa fabularum inuolucris proponerentur mortalibus, & suum gentes quæque adeo decantatum Herculem Iouis haberent filium, eum quidem primo genitum, certe notandum præ reliquis, Deum Fidium, seu Dei filium, paricum Ioue, i. e. diuino cultu prosequendum. Neque adeo mirandum, Romanos, tot populorum principes atque dominos, imprimis auxilium & præsidium, certe

Vv 2

veri-

l) De quibus HERODOTVS l. 2. p. 47

m) PAVSANIAS in Phocicis. SILIVS ITALICVS l. 12 SOLINVS c. 10. ISIDORVS orig. l. 14. c. 6.

n) DIOD. SIC. l. 4.

o) FESTVS v. *propter viam*.

p) TACITVS de morib. Germ.

veritatis præsens testimonium ab Hercule, Jouis filio, petiisse, conceptis, quam fieri potuit, breuissimis pulcherrimi iurandi, formulis, *mehercules*, atque *mediusfidius*, sc. seruet. Is enim, vt CICE-RO q) loquitur, tantus & tam præsens habetur Deus: ac semet ipsum arbitratus est ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos fuisse natum. Herculem Jouis & Alcmenæ Thebanæ aiunt fuisse filium, qui ob fortitudinem summamque rerum gestarum gloriam inter Deos relatus. Alcmena quidem coniux fuit Amphitryonis: quæ, cum peregre maritus Oechaliam vel Ætoliam debellaret, Iouem Amphitryonis formam præ se ferentem, thalamo excepit, suum esse maritum rata, atque ita ex Ioue compressa Herculem peperit. r) Hic, vt fabulantur, in cunis infans cum vagiret, duos ab Iunone inuida missos manibus conquassauit dracones, & *primigenius* dictus est: qui rebus per orbem fortiter gestis maxime inclutus. Atqui DIODORVS SICVLVS s) ille, qui Herculis huius stupenda faci-

no-

q) Tuscul. quest. l. i. c. 12. & 14. extr.

r) Vid. PLAVTI Amphitryon. HYGINI fab. 29. JOH. BAPTISTA CASALIVS de profanis & sacris veteribus ritibus part. 2. c. 8. pag. 74.

s) Biblioth. histor. l. 5. c. 76. init. Confer. HERODOTVS & alii. Inprimis CICERO de natura Deorum lib. 3



nora pasſim deſcripſit, diſerte, vel ex aliorum traditione, memoria prodidit: de Hercule referunt, quod a Jone creatus ſit permultis ſane annis priuſquam Argis ille ex Alcmena Hercules prodiret. Hic vero qua matre natus fuerit, compertum non eſſe: hoc ſolum modo certum eſſe, quod robore corporis vniuerſis mortalibus præſtantior totum peruaſerit orbem; iuſtas iniuſtis & ſlagitioſis pœnas infligens, & monſtra ferarum, quibus infeſtæ & deſertæ regionum habitationes redderentur, e medio tollens, hominesque vbiuis gentium in libertatem vindicans: ipſe tamen inter tot rerum diſcrimina inuulnerabilis & inuictus. Ob quæ merita ſempiternis eum honoribus mortales dignentur. Natum vero ex Alcmena Herculem multo poſteriore, quod antiqui huius

Vv 3

ſtudia

1.3.c.16. vbi ſex diuerſos eiſdem nominis præfert, ac notanter quærit: quem notiſſimum Herculem colamus, ſcire ſane velim. Plures enim tradunt nobis ii, qui interiores ſcrutantur & reconditas literas: antiquiſſimum, Jone natum, ſed antiquiſſimo item Jone: nam Jone quoque plures in priſcis Græcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Lyſito eſt is Hercules, quem concertauiffe cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Ægyptius, quem aiunt Phrygiæ literas conſcripſiſſe. Tertius ex Ideis Digitis, cui inferias aſſerunt. Quartus Jouis & Aſteriæ, Latonæ ſororis, qui Tyri maxime colitur, cuius Kartaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Beluſ dicitur. Sextus hic ex Alcmena, quem Juppiter genuit, ſed tertius Juppiter.

*studia imitatus fuisset, eandem ob causam immortalitatis gloriam consecutum, & temporis progressu ob nominis similitudinem pro eodem habitum, & res prioris (quod verum a vulgo ignoraretur) posteriori attributas esse. De Herculis nomine & significatione quædam alibi) monuimus. Nominis originem faciunt alii Germanicam ab Herr, Heer, & Keule. GOROPIVS BECANVS v) ipsum eo credit præfigurari Christum, æternam æterni patris virtutem, atque invictum totius mundi robur. PETRVS DANIEL HVETIVS, x) Herculem Israelitarum ducem, Josuam, fuisse conatur demonstrare: eumque Samsonis etiam typum facit. y)*

## §. XII.

Quoquo se res habeat modo, est profecto Dius Fidius significatione non alius, quam Jovis filius. Jupiter enim Græcis Ζεύς, generandi casu flectitur Διός: & litterarum L. D. permutatione, veteribus *fr-*  
*dus*

t) Dissert. de Hercule Musagete p. 14. Confer. PL-  
GHII Hercules Prodicus p. 257. passim.

v) Hermathenæ l. 7. p. 171. l. 5. p. 111 Hieroglyphicorum l. 2. p. 22. passim Vertumn. p. 93 seqq.

x) Demonstrat. euangelica propof. 4 p. 323. seq.

y) Loc. cit. p. 336.



dius erat filius. z) Nec ab re FESTO a) compositum videtur, & significare Jouis filium, siue Herculem: quod Jouem Graeci  $\Delta\iota\alpha$  casu quarto vocarunt: ac fidium valere pro filio, quod saepe antea pro L. litera D. utebantur. Ita etiam VARRO: b) Juppiter olim Diouis & Diespiter dictus, hoc est, aer & dies pater (quod patefaciat omnia) a quo dei dicti, qui inde, & dies, & dius, & diuus. Vnde sub dio, & dius fidius. Itaque inde eius perforatum tectum, ut videatur diuum, i. e. caelum. Quidam negant, sub tecto per hunc dejerare oportere. Alius Gallus, Diuus Fidius, dicebat, Diouis filius, ut  $\Delta\iota\omicron\sigma\kappa\omicron\upsilon\pi\omicron\nu$  Castorem: & putabant hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Graeca. Rursum FESTVS: c) dium antiqui ex Graeco appellabant, ut a deo ortum, diurnum sub caelo lumen  $\alpha\pi\omicron\delta\tau\omicron\varsigma\Delta\iota\omicron\varsigma$ . Vnde adhuc sub dio fieri dicimus, quod non fit sub tecto; & interdiu, cui contrarium est noctu. Diu, quod sub caelo est, extra tectum, ab Jove dicebatur. Et Dialis flamen, & dius heroum aliquis, ab Jove genus ducens. Diu fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jouis, ut nocturnum Summani. Respondet omnino

Vv 4

Var-

- z) Vid. comment. de adolescentia Latinae linguae c. ult. §. 28. p. 325.  
a) V. medius fidius.  
b) De lingua Latina l. 4. c. 10.  
c) V. Diu.

Varronis ac Festi sententiæ glossarium vetus, ubi *Dius Fidius* Διος υἱος, ἡρακλῆς. Quod ergo alii *sub dio*, HORATIVS d) *sub Jove* dixit.

- - - *Manet sub Jove frigido*  
*Venator, teneræ coniugis immemor.*

§. XIII.

Non maior Dei filius, quam Hercules, ille fortissimus suorum vindex, qui κατ' ἐξοχήν id sibi nominis a gentibus tribui voluit. Eadem quoque utriusque iurisiurandi *me Hercules*, & *me Dius Fidius*, accidentia fuerunt. Sub tecto per hunc, quem Jovis diximus esse filium, deierare non licuit. e) Et qui Herculem iurant, hoc facere prohibentur sub tecto. Cuius quidem rei variæ a PLVTARCHO f) rationes proponuntur. Vtrum Herculi displiceat domi latitantium ignavia, & magis grata sit rusticana & subdialis vita? An quod Deus hic non sit indigena? Magis tamen videtur adstipulari Fauorino: non vulgare id, sed proprium fuisse huic Deo, qui religiose ad iusiurandum accesserit,

d) Carmin. l. i. od. 7.

e) Vid. VARRO de lingua Latina l. 4. c. 10.

f) Quæstionibus centuriatis Romanis c. 28.



ferit, ac semel vni Phili, Augei filio, iurauerit. Hinc Pythiam Lacedæmoniis hoc sacramenti genus proposuisse, quod confirmare absque iureiurando satius & melius sit.

§. XIV.

Quamvis illa veterum Romanorum per Dei filium iurandi consuetudo superstitionem ac idololatriam sapiat: vix tamen nobis persuadere possumus, illorum saniores, vt veritatis & sapientiæ plures erant studiosi, non vnum verum T. O. M. agnouisse Deum. Imo ratione præditi omnes, quotquot terrarum inhabitant orbem, haud difficulter existimare ac intelligere valent, ens entium esse, illud quidem longe perfectissimum & immortale, Deum: quod manifestum non modo ex ipsa, quam inhabitant, terra, & rebus in ea ad stuporem vsque factis, verum etiam ex cæli mundique totius inspectione, structura, dispositione, & ordine sapientissimo & pulcherrimo. Hæc enim omnia non possunt esse fortuita, aut hominis cuiusquam, vel potentissimi, studio producta. Quemadmodum Zaleucus egregie disputat in leges præmio; g) omnium vero optime consolationis auctor,

Vv 5

quam

g) Apud STOBÆVM serm. 42. p.m. 277.

quam vulgo Ciceroni tribuunt, h) cum homo, inquit, solus ex omni propemodum genere nactus sit aliquam notitiam Dei, nisi vite iniquitate Deo iniquus atque inuisus euaserit, ad Deum certe euolabit. Idque eternitatis humanæ vel maximum ac firmissimum argumentum est, solum hominem diuinæ voluntatis participem consciamque existere: ut, quamquam agrestibus siluestribusque in locis natus sit, tamen, ipsa docente natura, & esse Deum, & colendum ac venerandum esse, dubitare non possit. Nec ab re gentes, etiam M. TVLLIO teste, i) ex operibus magnificis atque præclaris, cum ipsum mundum, cum eius membra, cælum, terras, maria, & horum insignia, solem, lunam, & sidera vidissent, temporumque vicissitudines cognouissent, suspicati sunt, aliquam excellentem esse præstantemque naturam, quæ hæc fecisset, moueret, regeret, gubernaret. Communis ergo omnium pene gentium & certissima persuasio hæc est, vnum mundi & rerum quarumque existentium auctorem esse Deum T. O. M. Hinc ipse M. TVLLIVS: k) in hominibus nulla gens est, neque tam inmansuetas neque

h) CICERON, oper. tom. 4. p. 323. edit. Hamburg. 1618 fol.

i) De natura Deorum l. I. c. 36.

k) de legibus l. I. c. 8



neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat, Deum, qui unde ortus sit, quasi recorderetur, ac noscat. Diuinitus apud PLAVTVM l) Tyndarus: Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque, & videt. Idem SOPHOCLES m) exprimit: ἐστὶ μέγας ἐν ἑσπερίῳ θεὸς, ὃς ἐφορεῖ πάντα, καὶ κρατύνει. Rursum: ἐστὶ δίκης ὀφθαλμός, ὃς τις πάντ' ὀρεῖ. Thales Milesius, n) septem Græcia sapientium primus, interrogatus aliquando, lateretne Deum homo male agens? Ne cogitans quidem, respondit. Sic quoque Romanorum politissimi quique intellexerunt facile, Deum pietate & religione, & iustis precibus, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum, casis hostiis placari posse. o) Deum ens agnoscunt esse perfectissimum, infinitum ac æternum. Thales Milesius, qui sapiens primus inter Græcos, antiquissimum, inquit, p) eorum omnium, quæ sunt, Deus: ingenitus enim. Pulcherrimum, mundus: a Deo enim factus est: vel, ut Græca habent, πρεσ-

l) Captiv. A. 2. S. 2. v. 63

m) Electra.

n) Apud DIOGENEM LAERTIVM in eius vita.

o) Vid. CICERO orat. pro Cluentio c. 68 extr.

p) Apud DIOGENEM LAERTIVM de diuinat. l. 2. c. 41.

πρεσβύτατον τῶν ὄντων, θεός. ἀγέννητον γὰρ καίλιον, κόσμος. ποίημα γὰρ θεῶ. Et paulo post interrogatus, *quid Deus?* τί τὸ θεῖον? respondit, τὸ μὴτε ἀρχὴν ἔχον, μὴτε τελευτήν. *Quod initio & fine caret.* Et ingenue fatentur omnes, q) nihil esse, quod Deus efficere non possit. Homines suam contra, vel quotidiana experientia docti, agnoscunt imbecillitatem: quod vix ac ne vix quidem sine diuino auxilio per momentum subsistere queant. Peccatores, vt fumus omnes, atque noxii valde, nullam plane sentiunt cum sanctissimo numine communionem habere, ac facile intelligunt, nisi æternum infelices esse debeant, mediatore opus esse: cum ipsi Deo nihil minus gratum videatur esse futurum, quam non omnibus patere, ad se placandum atque colendum, viam. r) Vel ex prima reuelatione, Adamo ejusque filiis facta, grauisimum redemptionis opus futurum ad omnes gentes, orali traditione, propagatum fuisse constat: quandoquidem illis nulla salus aut solatium alioqui superesse videretur. Vel quis negare ausus fuerit, etiam illos, extra populum Dei electum, idolorum cultores oracula diuina legisse, ac inde multa ad religionem suam per-

q) Apud CICERONEM de diuinat. l. 2. c. 41.

r) CICERO de legibus l. 2. c. 10



per filium Dei jur. confuet. Diff. 675

pertraxisse. Hinc filios Dei finxerunt plurimos, s) vnum vero omnium excellentissimum Herculem, vel Sanctum illum Diem Fidium, qui, Caco, i. e. malo, seu diabolo, superato, orbi salutem reparare potuerit.

- s) Omnes quidem rerum ignari præclaro quodam facinore insignes. Vnde Romanus centurio de Seruatore, cruci affixæ, cum terræ motum videret exclamare non dubitauit: ἀληθῶς θεῶν υἱὸς ἦν ἕτος.  
Matth. XXVII. 54.

### III.

JOANNIS CHRISTOPHORI  
HARENBERGII

EXPOSITIO

CAPITIS XVI. LVCÆ;

SEV PARABOLARVM DVARVM,  
VNVS DE VILICO INIVSTO, AL-  
TERIVS DE EPVLONE DIVITE,  
CVTICVLAM CVRANTE.

### SECTIO III.

QVA PARABOLA DE DIVITE  
EPVLONE EDISSERITVR.

### SYNOPSIS:

§. 1. *Scopus parabole de epulone diuite ac La-  
zaro.* §. 2. *Nomen Lazari non est  
histo-*

historicum, siquidem heic historia haud tractatur. §. 3. Illustratur v. 19. §. 4. Lazari status, comites, morbus. §. 5. Exponitur v. 22. §. 6. Incisum 23. illuminatur. §. 7. Domicilium animarum separatarum ex mente Platonis & Phariseorum. §. 8. De angelo, mentium separatarum deductore. §. 9. De corpuscule seu veste animarum, corpore hoc exutarum. §. 10. De animarum nonnullarum apud inferos ex mente Platonis & Judeorum purgatione. §. 11. Incisum 24. exponitur. §. 12. De emphasi vocis ἐδυνάεσθαι. §. 13. Exponitur 25. incisum. §. 14. Illustratur 26. incisum. §. 15. Exponuntur incisa 27 & 28. §. 16. Additur coronis, summa corollariorum, & clausula.

## §. I.

**P**ergit inde Seruator ad parabolam alteram, docturus, quantopere dissideat status vitæ huius splendidior a statu hominis, bonis fluxis immerfi, posthæc ad conditionem vitæ huic succedentem translati, & quam inanis sit eorum argumentatio, qui putant, hominem, in hac vita faustum, numquam non fore felicem. Repræsentat ipse suis hominem, de resurrectione mortuorum & vita futura haud sollicitum, præ-



præsentia curantem, futura negligentem, cuius fratres focique pœnitentiam maleactorum vel differant vel superuacaneam arbitrentur. Imaginem Sadducæi exhiberi in hac parabola delineatam, sibi persuadet Ven. JOANNES LAVRENTIVS MOSHEMIVS (k). FRIDERICVS ADOLFVS LAMPIVS credidit (l), adumbrari tradique hac parabola, homines inopes & egenos in fœdus ac communionem ecclesiæ N. T. receptum iri, tam inter Judæos, quam inter gentes reliquas (m), ut factum Phariseorum Jesus retunderet, quem iam notauerit v. 15, & XV, 2. Monendi omnino erant Judæi de genuina ecclesiæ christianæ natura, consistentis quippe non in diuitiis ac splendore huius vitæ, sed in fide incorrupta, virtute, & patientia. HENRICVS TEELMANNVS commentatus fuit (n), Phariseos & Scribas adumbrari imagine diuitis & opulenti epulonis, Jesum vero, ab illis spretum & repudiatum, sub imagine Lazari latitare. Si parabolam excutiamus & pensitemus, quanta fieri potest diligentia, ne micam quidem rationis deprehendere licet, quæ huic

k) In *Institutionibus* H. E. sæculi I. p. 85.

l) In *Diff. de Sinu Patris* §. 10. p. 79. Vol. I. Dissertationum.

m) Ps. XXII, 27. LXXII, 4. CXIII, 7. Jesh. XI, 4.

n) Clerici *Biblioth. Vain.* T. II, p. 302. sqq.

huic faueat opinioni. Tristes eorum euentus heic delineari, qui ad scopulos diuitiarum adhærescunt, docuit nuper Deista Anonymus (o). Si seriem orationis omnem pensi alicuius habemus, docemur parabola priori, ita viuendum esse, ne culpa nostra in hac vita nos nostrosque reddamus infortunatos miserosque; posteriori autem conuincimur, sic hanc vitam esse transigendam, vt ne sempiterna beatitudine careamus. Phariseis ac Scribis hæc doctrina inprimis erat insigenda, quippe qui vnice præsentia intuebantur opibusque huius vitæ prorsus erant addicti, nec futuram, immo æternam, miseriam debite perpendebant. An Sadducæi Jesum docentem simul audierint, dicere non habeo. Vestigia certe haud video, e quibus id coniectare possim. Sadducæorum haud erat, fauere purgationibus animarum, a corporeis vinculis exutarum. Diuitis epulonis anima traditur circumspexisse Abrahamum, eiusque subleuationem expetiisse. Haud quadrat hoc in Sadducæos momentum. Pharisei autem Rabbanitæ id habebant vitii, vt soli diuino verbo, in litteras relato, haud darent haberentque fidem, sed opiniones ei adderent, per manus pridem traditas, &

o) *Lettres sur la religion essentielle à l'homme* p. 103. f.



& partim ex gentium exterarum lacunis  
 haustas. Quem in censum venit ipsorum  
 dogma, de purgatione animarum separa-  
 tarum inscriptum, quod diligentissime &  
 peculiari *Dissertatione* edisseruit b. HEN-  
 NINGVS BERNHARDVS WITTER (p)  
 quod PLATO iam (q) adprobauit: &  
 quod VIRGILIUS (r) repetiuit. Pharisa-  
 orum ac Rabbanitarum doctrina sic fere-  
 bat, vt ipsi promeritis Patriarcharum con-  
 siderent eorumque precibus ad Deum di-  
 rectis sese subleuari arbitrarentur. Sad-  
 duceos hæc sentiendi libido haud infeece-  
 rat. E diametro hisce Pharisaorum opinio-  
 nibus Iesus doctrinam suam, parabola al-  
 tera expressam, opposuit, ac eo ipso e-  
 uertit Pontificiorum dogmata, Judaicis  
 illis opinionibus (s) simillima. Quibus  
 præmissis ad singulos parabolæ alterius ar-  
 tus nervosque propius intuendos curati-  
 usque expendendos & euoluendos ani-  
 mum adpellemus, rati, nihil historiz  
 heic subesse, sed vniuersum complexum  
 profluere in parabolæ modum. Tres ve-  
 ro sunt parabolæ partes. Prima exhibet  
 diuersum huius vitæ statum. Secunda of-  
 fert

p) De purgatorio Iudeorum Helmstad. 1704, 4.

q) In *Phædone* p. 405, & de *Republ.* Dial. X. p. 519.

r) *Æneid.* L. VI, v. 743, sqq.

(s) Bellarminus de *Purgatorio* I. II. Bailius in *Cœ-  
 tech. Controv.* tractat. 2. qu. 44.

fert vicissitudinem, obuiam in statu mentium a corporibus disiunctarum. Tertia pertinet ad admonitionem, quæ docet modum cauendi sibi a miseria infernali.

## §. II.

Solent nomina diuitum & opulentorum nec negligi nec facile in obliuionem abire. Sed nuspiam de diuite eiusmodi comessatore mentio iniicitur. Nuspiam eius legitur nomen. Nomen Lazari per antonomasiam pro egeno opisque vacuo fuit adhibitum eadem ratione, quo pauperrimum quemuis solemus *irum* appellare. Nam *Lazarus* est ex *ἄν* *ἄν*, *defectu auxilii*, dictus. Haud ignoro quidem, vocem Lazari vulgo pro Eleazaro seu Eliesere credi positam esse. Quoniam vero Iosephus aliiq[ue] nomen græcum Eleazari adhibuerunt ac Lucas ipse illud nomen *Eliezer* c. III, 29. haud ignorauit, improbable est, nomen Lazari heic idem esse ac Eleazari. Voluit Iudæis Iesus exhibere parabolam; noluit eis historiam, inter ipsos gestam, exhibere. Nam Christus non solet viros nominatim significare, ad orcum detrufos. Judas proditor dicitur in locum suum abiisse. Jesum de persona quadam incognita differere, vel ex eo intelligimus, quod ipse per formulam para-



parabolicam orditur orationem: *Erat vir quidam dives.* Et vbinam gentium, obsecro, exstitit ille vir, bysso & purpura amictus, cui quinque fuerint similis fortunæ luxusque fratres? Ne dicam, con- similem parabolam legi in Codice Gema- rico *Brachot* c. 5, fol. 31. Ornarunt iam & firmarunt hanc sententiam viri olim summi, nunc beati, SEBASTIANVS SCHMIDIVS (t) & JOANNES CHRISTO- PHORVS WOLFIUS (u)

§. III.

Vir ille parabolicus, qui figuram gau- dii terrestris, in moerorem sempiternum conuersi suppeditat, variis delineatur or- namentis status externi. Dicitur dives multisque opibus excellens. Dicitur ve- stitus purpura & bysso. Dicitur latatus epulisque instructis delectatus in dies. Sæ- culo quarto ac sequenti tempore Christiani in Palæstinam cœperunt peregrinatores sa- cros strenue frustrari ac fallere, ne deuo- tioni deesset materies nec ostendentibus lucrum. Subduxerunt itaque ipsi sic ra- tiones suas, vt fingerent gesta & loca va-  
ria

X x 2

(t) In *Disp. de Simu Abrabæ* §. 13. p. 880, f. in Fasci- culo Disputationum theologicæ - philologicarum Jen. 1712, 8

(u) In *Curis* ad h. l. p. 792

ria, male narrationes euangelicas interpretati. Adpellarunt ipsi diuitem illum epulonem *Nineusin* (x) ædesque eius Hierosolymis (y) monstrarunt. Falso quidem. At lucri bonus ad ipsos odor ex re qualibet videbatur redire. Purpura erat Regum procerumque gestamen. Syrorum Asiaque Reges amicis suis impertiisse memorantur vsum & sumtuosa spectacula purpuræ. Rex Alexander Jonathani Maccabæo confirmauit Pontificatum Maximum ipsumque inter *amicos Regis* retulit ac simul eidem misit *purpuram & auream coronam*. 1 Macc. X. 20. Ipsi hi amici purpuram illam induebant, quotiescunque Regibus consueuerant adsidere. v. 62, 63, 64. Simonem, Jonathani fratrem, Judæi pro Pontifice Summo ac Duce bellico reputarunt, Regisque astimarunt loco. Et hanc ob causam voluerunt ipsi constitutum, vt is purpuram gestaret aureisque ornamentis ornatus incederet. 1 Macc. XIV. 43 44. Conf. XI. 58. Josepho Proregi Ægyptiorum *vestis byssina* legitur iniecta apud Interpretem Alexandrinum Gen. XLI, 42. *Bysina pepila* mulieribus tribuit ÆSCHYLVS p. 130. f. edit. Henrici Stepha-

(x) Euthymius ad h. l.

(y) J. Alb. Fabricii *Notæ ad Codicem apocryphum N. T.* p. 562.



phani. THEOCRITVS byssum ostendit  
fuisse muliebrem & delicatulam *Iayli*. II,  
v. 72. Byssus conficitur per modum lini  
vel lanæ ex frutice vel arbore gossipii:  
gestamen olim Sacerdotis Ebræorum sum-  
mi (z) ac virorum, auctoritate & diuitiis  
pollentium. Ei, qui gratas circumspici-  
unt horas deliciisque cum splendore sum-  
tuoso ac adparatu renidenti animum cor-  
pusque singulis diebus oblectant, dicun-  
tur *ἐυφραίνεσθαι καὶ ἡμέραν λαμπρῶς*. Vi-  
rum nostrum parabolicum multi in lurco-  
nem, helluonem, ac gulæ ventrisque man-  
cipium ebriosum conuertunt. At invita  
dictione græca. Nec tamen ebrietas &  
oblectationum adfectatio generis est vnus.  
Peccant & illi, qui tantum cibi potusque  
sumunt, quantum vires non reficit, sed  
opprimit terraquæ & humo cogitationes  
adfigit. Plures enim perierunt conuiujs  
& poculis rorantibus, quam fame & siti.  
Nec dici potest, quantum conuiuiones  
quotidianæ pietatem suffocent, proster-  
nant, & exstinguant. Vires animi spirituales  
disipantur & enervantur conuiujs, quan-  
tumvis modicis, quod experiundo proh  
dolor! magis intelligitur, quam ratioci-  
nando. Temporaria & breuissimæ moræ  
Xx 3 sunt,

(z) Joann. Oldermanni Diss. de Vestibus byssinis Pon-  
tificis M. in Expiationis festo. Helmstad. 1717, 4

sunt, quæ genium delectant; quæ autem cruciant, sunt fempiterna.

## §. IV.

Viro parabolico, & opulento & sumtuoso & quotidianis gaudiis indulgenti, adiungitur vir alter, qui dicitur egenus & pauper, cui nomen fuisse dicitur Lazaro (v. 20), qui dicitur proiectus ad vestibulum foresque exteriores diuitis, qui dicitur vlceribus obfitus & pragrauatus, qui dicitur (v. 21) tam inops fuisse, vt saturari concupiuerit ex micis, a mensa diuitis cadentibus. Non curasset ipse sese eo portari vel non venisset eo, nisi spes fuisset obtinendi aliquod famis fitisque leuamentum, quid? quod canes illi, qui vestibuli erant custodes, adueniebant lingeabantque eius vlcera. Adumbratur status hominis miserrimi, quem premit valetudo aduersa, quem deficiunt vires, opes, victus & amictus, quem canes inuifunt magis quam homines. Solent pictores ingenio abuti, dum, mendicum hunc in domo diuitis flagellatum fuisse, fingunt. Non enim perhibuit Iesus, pauperem hunc intra domum diuitis admissum esse. Qui gaudiis & lato animo dant primas, ei non consueuerunt oblectamentis suis immiscere miseranda rerum spectacula, illecebras suas turbatura. Diues sibi videbatur



batur in cælo esse; miser ille videbatur tartari hospes & infelicitatis imago. Tantum interest inter conditionem hominum, in hac & futura vita versantium. Quales exstiterint canes, haud designatur nec nostra interest nosse. PIGNORIVS eos mauult fuisse catellos (a) Errant, inquiens, pictores, qui pingunt canes venaticos seu vilaticos, quasi isti cenantem dominum oblectassent. Malumus catellos, quippe qui in deliciis tricliniaribus habiti, ut testatur mulier Cananea & indicant sculpturæ antiquorum marmorum apud Fulvium Ursinum in Appendice ad Ciacconium de Tricliniis. Nihil heic legitur de oblectatione, ex canibus percepta. Canes heic commemorantur, non catelli. Persuaserat sibi olim Cel. PETRVS ZORNIVS, personatus ille Theophilus Amelius, per canes hoc loco denotari (b) ianitores feruos, catenis instar canum constrictos custodiæque ostiorum adiunctos. Nec inficiari lubet, ianitores domesticos olim canes fuisse dictos (c). Verum obstant momenta duo, cur in eam sententiam haud descendamus. Dicun-

XX 4

tur

(a) De Seruis veterum p. 224.

(b) In Erörterung der schwersten Schriftstellen in N. T. P. I. p. 8, f.

(c) Cicero Or. IV. in Verrem § 40. p. 230. §. 47. p. 232. Petrus Pithecius L. II. c. 9. Subseciu. Catartus in Aduersariis posthumis c. 43.

tur enim canes venisse. Mediastini, catenis constricti, ad eundem locum, in quo stabant vel iacebant, erant adligati. Dicuntur canes ulcera linxisse. Servanda & retinenda est propria vocum potestas, quoad eius fieri potest. Quis vero existimabit serio, mediastinos ulcera linguis admotis linxisse? Ulcerosum morbum Lazari disquisiuit WEDELIVS, eumque ostendit fuisse εἰλεὶν αἱματίνην, *ileum sanguineum*, in intestinis residentem (d). Vocis vero λείχεν, ἀπολείχεν, & ἐκλείχεν significatum, in *lingen-*do positum, offert non solum Epistola Jeremix apocrypha v. 20. sed etiam integer scriptorum Græciæ chorus.

## §. V.

Nunc vero scena mutatur (v. 22). *Accidit enim, ut pauper ille moreretur* &, quantum ad animam adtinet, *deferretur ab angelis in sinum Abrahami*. Nihil de sepultura additur, quæ adeo tenuis fuit, ut respectu gloriæ consecutæ digna haud videretur, cuius fieret mentio. *Dives vero* & *ipse obiit* & *sepultus fuit*, splendide scilicet & conditioni lautæ priori congruenter. Vulgata habet: *Sepultus est in inferno*. Exultat heic JOANNES HARDVINVS (e)

cam-

(d) *Exercitation. Centur. 2. Dec. 2. Exerc. 2*(e) *In Commentario ad N. T. p. 213.*



eamque maximi facit, ratus, græca esse  
 ferioris ætatis, latina esse antiquissima &  
 authentica. Oppugnatum heic it fidem  
 primorum Patrum, qui græca Lucæ ver-  
 ba pro genuinis, primis, & authenticis  
 (\*) habent. Quis vero dixerit, corpus  
 diuitis *in inferno* esse sepultum? *Infernus*,  
 ò *adns*, spectat ad (\*\*) animas, non ad  
 corpora. Græca exemplaria illud *in in-*  
*ferno* habent inciso sequenti & ad animam  
 referunt. *Adns est conditio & status anime,*  
*a corporis copula disiunctæ.* Res adeo est  
 peruulgata & trita, vt non necesse sit ver-  
 bulum addere. Mentis animasque defun-  
 ctorum ab angelis traduci ac deportari in  
 locum debitum, non solum (f) Iudæi,  
 sed exteri etiam & a religione vera auersi  
 (g) scriptores, quondam docuerunt. Mer-  
 curio in primis Græci ac Latini id nego-  
 tii dederunt; Ægyptii vero suo Osiri. Pa-  
 trum testimonia de angelis, animarum  
 deductoribus, collegit Cel. Vir JACO-  
 BVS ODE (h). Delatus dicitur Lazarus  
 in sinum Abrahami, credentium patris,

Xx 5

vt

(\*) J. H. Boecleri *Dissert. de Lingua N. T. originali*  
 Lips. 1702, 4.

(\*\*) Baruch II. 17.

(f) Paraphrasis Chaldaica in Cant. IV, 14.

(g) Hieronymus Magius in *Miscellaneis* To. II. The-  
 sauri critici p. 1421, f.

(h) De Angelis Sect. 3. c. 4. §. II. p. 858, f.

vt indicetur, animam ipfius participem  
 fuiſſe redditam gaudiorum cœleſtium, ad  
 quæ admiſſus fuit in regno gloriæ Abra-  
 hamus. Ratio dictionis ſequitur morem  
 veterum Orientalium ac Palæſtinorum,  
 qui ad triclinium in conuiujs vnus alteri  
 accubabant. Qui proximus alteri accum-  
 bebatur, dicebatur in eius eſſe ſinu (i).  
 Eundem in modum dixit Jeſus, ad ſectato-  
 res ſuos in regno Dei ipſis Patribus, Abra-  
 hamo, Iſaaco, & Jacobo adſociatum iri  
 atque cum eis eſſe diſcubituros (k). Judæi  
 ad hæc eum adfirmant *in ſinu* (l) *Abrahami*  
 reſidere vel accubare, cuius anima in Pa-  
 ra-diſum cœleſtem intromiſſa fuit. Primi  
 eccleſiæ Patres non ſatis fuerunt concor-  
 des, determinaturi ſedem mentium bea-  
 tarum. Plerique ipſorum animas ſepara-  
 tas crediderunt *ſubter terra* in ſepulcro vel  
 circa illud verſari ibique quieſcere ac re-  
 frigerari vsque ad nouiſſimum terræ diem  
 (m). Ob hanc ſententiam ſemel adproba-  
 tam ipſi non potuerunt, quin ſinum A-  
 brahæ eodem traherent & collocarent.  
 TERTVLLIANI ſententia (n) eſt admo-  
 dum

(i) Jo. XIII, 23.

(k) Matth. VIII, 11.

(l) Kidduſchin fol. 72, 2.

(m) Diſſ. mea ad Canonem XXXIV. Concilii Eliberi-  
 tani §. 7. in *Hiſtoria Gandersheimenſi* p. 553, 599.(n) L. IV. *contra Marcionem* c. 34



dum clara. En illam: *Sinus Abrahæ est certus locus sub terræ corpore in parte ignota.* Eadem repetiuit GERVASIVS Tilberien-  
sis (o). Omitto alios sciens & lubens. Imposuit viris ceteroquin probis opinio,  
a gentibus ad Judæos traducta, nec non vox *adns* per infernum reddita, & pronun-  
tatum de anima Jesu defuncti *en tō adn*,  
*in inferis*, commorata. At cur angeli de-  
ducerent animas piorum, si ipsæ in cor-  
pore remanerent eidemque sepulcro in-  
ferrentur? *Adns* denotat conditionem ho-  
minis post mortem, præterea nihil. Chri-  
sti verba, *non derelinques animam meam in*  
*Scheol*, *in Hade*, designant nihil aliud ac  
id ipsum, quod ipse in conditione sepa-  
ratarum animarum haud esset mansurus,  
quod ipse in lucem & conspectum homi-  
num, esset rediturus (\*).

§. VI.

Parabolica oratione nunc delineatur  
status viri diuitis, qui in hac fragili vita  
delicias suas fuerat sectatus. En deline-  
ationem (v. 23): *Tum vero, quum in statu*  
*post mortem adleuaret oculos suos, positus in*  
*tōrmentis, videt Abrahamum e longinquo La-*  
*za-*

(o) In *Otiis imperialibus* Decis. I. p. 397. To. I. Leibn.

(\*) Eam *adns* seu *adns* notionem adhibuit Hippo-  
crates de *Diata* L. I. c. 4. §. Vide Cel. Jo. Matthiæ  
Gesneri *ψυχὰς ἱπποκράτους* p. 12. 38. 14.

*zarumque in sinu eius.* Verisimilitudinem adhuc seruat parabola. Judæi enim ea ætate, qua Jesus hæc pronuntiavit, cum Platonici in ea erant opinione, ut, animas defunctorum subter terra in communi propemodum receptaculo morari, corporibusque & organis corporeis subtilibus inuolutas esse, sibi persuaderent. Pharisei ea propter, nisi cum ratione insanire mallent, excandescere haud poterant ad hanc parabolæ representationem, quippe qui ipsi docebant, animas 1) mercedis esse capaces nec interire, licet a corpore crassiori essent dissolutæ, 2) nec in altera vita continuari statum & conditionem huius vitæ, 3) nec animas prorsus fore nudas omnique velamine destitutas, 4) illas animas potius, maculis peccatorum infectas, expurgationem per promerita sanctorum apud inferos expetere: 5) ac animas, virtutibus inanes, cruciari apud inferos: 6) puras vero mentes in paradiso ac in sinu Abrahami tranquillas versari. Tribuuntur vero κόλποι, *sinus*, Abrahamo haud uni, eo quod multis apud eum versari ac delicias cœlestes (\*) percipere licet. Ad-  
dimus, Abrahamo, si hic in limbo quodam & ergastulo hæsisset, Jesum haud adscripturum fuisse gaudia & consolationis oblectamenta.

J. VII.

(\*) Suetonius in *Vita Octavii Augusti* c. 34.



§. VII.

Crediderunt Platonici, animas separatas subter terra versari ultra biuium, ex via communi ortum. PLATO ipse (p) Δικιάσθων ἐν τῷ λειμῶνι, ἐν τῇ τριόδῳ, ἐξ ἧς Φέρετον τὴν ὁδὸν, ἡ μὲν εἰς Μακάρων Νήσους, ἡ δὲ εἰς Τάρταρον. *Judicabunt in prato, in triuiio, ex quo duæ procedunt viæ, alteræ ad Beatorum Insulas, altera ad tartarum.* Insulas beatorum HOMERVS (q) ac VIRGILIUS (r) vocarunt *Elysium campum*, & nude *Elysium*. Virgilii locus a Platone non abhorret. Poëta enim sic cecinit:

*Hic locus est, partes ubi se via findit in  
ambas,*

*Dextera, quæ Diis Magni sub mania  
tendit;*

*Hac iter Elysium nobis. at leua malorum  
Exercet pœnas & ad impia Tartara mittit.*

Pharisei æque opinati fuerunt, animas, a corpore exsolutas, *sub terra seu κατ' ἄδης, apud inferos*, esse, ibique recipere vel præmia vel pœnas pro meritis cuiusque atque pro ratione in hac vita peractorum (s). Necdum illa de domiciliis mentium  
fe-

(p) In *Gorgia* p. 313.

(q) In *Odiss.* IV, v. 563, sqq.

(r) *Æneid.* VI, v. 540, f.

(s) Josephus *Ant. jud.* L. XVIII, c. 2. de B. Jud. II, 12. Origines L. V. *contra Celsum* p. 26. edit. Cantabrig. 1677, 4.

separatarum subterraneis sententia a Judæis dimissa fuit.

## §. VIII.

PLATO docuit (t), animas, seiunctas a corpore easque puras & pias, per angelum beneficium deduci & ad inferos & ad locum ibi convenientem. Judæi æque Michaëli angelo hoc muneris deputarunt (u). Vtrique autem mentibus pravis adiungunt dedectorem malignum, dæmonia impium, angelum misérias spirantem (x), quem Judæi vocant *Sammaelem* & principem omnium cacodæmonum. PLATONIS hæc sunt verba: τελευτήσαντα ἑκάστων ὁ ἐκάστη δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει, ἔτιον ἀγειν ἐπιχειρεῖ, εἰς δὴ τινα τόπον, οἱ δὲ τὰς ζυλλεγεῖντας διαδυναστανέντες εἰς ἄδης πορεύεσθαι μετὰ ἡγεμόνος ἐκείνου, ᾧ δὴ προστέτακται τὰς ἐνδεδότας ἐκείνους πορεύσθαι. *Quemlibet morientem cuiusque demon, qui viventem sortitus fuerat, ad locum quemdam ducere aggreditur, ubi omnes iudicari oportet una collectos, ac deinde ad inferos proficisci eo duce, cui mandatum est, ut hinc decedentes ad illa loca traducat.* Mercurio alios id dedisse negotii, ut pias animas sedibus lætis reponeret, testis est Horatius L. I. Carm. Od. 10.

## §. IX.

(t) In *Phædone* p. 398.

(u) R. Elias de Vidas in *Reschith Chochmah* c. 3.

(x) Plato l. c. p. 386, 398. Targum in *Gen.* III. 6.



§. IX.

Corpusculo tenuissimo animam perdu-  
rare vestitam, Plato (\*\*) ac Platonici do-  
cuerunt, eandemque suam fecerunt sen-  
tentiam Pharisei & eorum successores.  
Nihil itaque Pharisei in ea notare pote-  
rant parabola, in qua mens diuitis dicitur  
adlevasse oculos, Lazarum vidisse,  
implorasse Abrahamum, linguæ ardorem  
fensisse ex tormentis, immo locuta esse ac  
pro fratribus vivis deprecata. PLATO  
negavit dilucide (y), animam omni cor-  
pusculo aliquando liberatum iri. Ex eo  
factum est, ut PROCLUS (z) mentibus,  
a corpore hoc, quod cerni potest, abstra-  
ctis, tribuat organa, in quibus ipsa inter-  
uentu contactus physici a dæmonibus pu-  
nientibus possint cruciari. Consensit  
TERTULLIANVS (a). PLATO existi-  
mavit, spectra, quæ sepulcris videantur  
oberrare, esse umbrosa animarum impro-  
barum corpuscula (b). Subdit idem: *Ta-  
lia phantasmata seu simulacra præferunt a-  
nimæ tales, quæ videlicet non puræ decesserunt  
a corpore, sed conspicui quid trabentes.* Ad-  
dit,

(\*\*) De Republica L. X, p. 516.

(y) In *Phædone* p. 28. Ed. Henricpetrina.

(z) L. I. Timæum p. 35.

(a) De *Anima* p. 644.

(b) In *Phædone* p. 386, C. edit. 1590, fol. Lugdun.

dit, mentes improborum indui corpusculo, moribus olim demonstratis adfini & consentaneo. Si itaque mentibus improbis, a corpore segregatis hoc crasfiori, adesse tenuius simulacrum, quod membra & organa corporis refert, existimare licuerit, proclive iudicatu est, parabolam verosimillime instructam esse, quandoquidem Judæorum opinio, quantum ad animarum corpuscula adinet, non abhorret ab ea, quam Plato & eius grex professus fuit. Ipsi enim mentibus, in Paradisum per angelum mortis deportatis, tribuunt *vestem optimam*, in qua ipsæ queant sapientiam Dei contemplari (c). R. Iizchak Lorientis de natura & indole huius vestis seu corpusculi ita sensit (d): *Animabus istis hæ vestes semper relinquuntur nec unquam ab ipsis separantur, ne quidem post resurrectionem.* Plato vestes has adpellavit *φαντάσματα & εἰδωλά*, species, simulacra. Recordor inter hæc opinionis Phariseorum, qui sibi persuaserant, animos pios *μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα*, transire in alterum aliudque corpus (e). Referunt præterea Judæi bene multa de adparitionibus animarum separatarum

(c) *Lumen Legis* Tir. XVI. p. 137. Kabbalæ denudatæ To. II.

(d) *De Revolutionibus animarum* p. 398. To. II. Kabbalæ denudatæ P. III.

(e) *Josephus de bello iudaico* II, 12.



tarum : easque exciri posse , corpusculis indutas, iam Siracides existimavit. Ad- do, Chaldaeos etiam mentibus humanis tribuisse corpusculum tenue, quod ani- mis post obitum corporis adspectabilis ad- hæreat, testibus oraculis ZOROASTRIS v. 260, f.

§. X.

Restat , vt ostendamus , Judæos ex philosophia Platonica eam quoque opini- onem hausisse , vt animas, hac vita per- functas, vel in Paradisum & vireta iucun- dissima, vel in tartara, deduci existima- rent, & nonnullas ex orco, expurgatione peracta, in Paradisum euehi, sibi persuade- rent. Mentis, in tartarum subter terram præcipitata, iudice Platone & suffragatori- bus Judæis, sunt vel insanabiles vel sanabi- les. Illæ apud inferos in tartaro reman- ent ; hæ determinato temporis spatio, datis male actorum pœnis, purgantur & paradiso seu beatorum insulis immittun- tur (f). Sic Plato. VIRGILIUS eodem fere canit more (g):

*Quisque suos patimur manes , exinde per  
amplum*

*Mittimur Elysium , & pauci leta arua  
tenemus,*

T. III. P. IV.

Yy

Donec

(f) Plato in *Phædone* p. 400. E. de *Republica* dial. X.  
p. 519, D.

(g) *Æneid.* L. VI. v. 743, sqq.

*Donec longa dies, perfecto temporis orbe,  
Concretam exemit labem purumque re-  
linquit*

*Ætherem sensum atque auræ simplicis  
ignem.*

Eandem opinionem Judæi dudum adop-  
tarunt. R. MENASSE BEN ISRAEL (h)  
R. ELIAS de VIDAS (i), *Glossa En Israël*  
*ad Codicem Rosch hasschana* c. 1, R. LVRIA  
(k) alique, quorum loca laudatus Witte-  
rus produxit, heic sunt instar omnium.  
Deprecationes iustorum eorumque meri-  
ta, viventium eleemosynas, sepulcri visi-  
tationem, animæ sanabili, ad tartara de-  
turbata, multum opis ac adlevamenti ad-  
ferre, decernunt eidem Judæi. Nec nu-  
dius tertius hæc sententia apud Judæos fuit  
enata. Judas Maccabæus iam pro defun-  
ctorum salute deprecatus fuit Deum eique  
obtulit holocausta (l). R. SAMVEL (m)  
ita docuit: *Iusto, quem ob aliquod delictum  
in locum iustorum nondum admittunt, pro-  
sunt orationes & eleemosynæ, quas pro eo ero-  
gant. Omittimus complura. Obiter ad-  
dimus, origines purgatorii Pontificii hinc  
fatis pellucere fatisque luculente illud a  
Christo*

(h) De Immortalitate anima rationalis I, 4.

(i) In *Reschith chochinah* c. 3.

(k) In *Sefer baggibilgbulim* fol. 44. col. 3.

(l) 2 Macc. XII, 43, f.

(m) In *Libro Chafidim* n. 170.



Christo destituti, negantis, redictionem  
vllam ex domicilio poenarum, quas ani-  
mae defunctorum luunt, in coelum patere.

§. XI.

Nunc autem redeundum est ad parabolam  
ipsam, in qua sequuntur (v. 24.) haec:  
*Porro ipse, quondam diues, clamans & vo-*  
*ce elata vsus dixit: Pater Abraham miserere*  
*mei, & mitte Lazarum, vt tingat extremam*  
*digiti sui partem in aquam ac refrigeret lin-*  
*guam meam, quoniam in hac flamma cruciati-*  
*bis oneror.* Vnicum hoc est exemplum  
codicis sacri, quod indicat, coelitum  
quemdam eumque creatum ab homine  
ita imploratum fuisse, vt auxilium inde &  
praesidium fuerit expectatum. At exem-  
plum hoc est & parabolicum & a mente,  
ad poenas sempiternas damnata eisque  
cruciata, profectum. Frustra vir parabo-  
licus hasce preces tentauit. Abrahamus  
ei designat confirmationem poenae diuinae,  
diuinitus constitutae. Nullam ipse de libe-  
ratione & salute speranda iniicit mentio-  
nem. Adiicitur memoriae huius exempli  
nec praecipuum de imitando illo orci in-  
cola, nec promissum, facto copulatum,  
nec facti vlla adprobatio. Quis vero in-  
sister vestigiis eorum, qui in tartaro, quor-  
sum sese vertant, nesciunt, inibique, or-  
dine dimisso, quem Deus praedefiniuit, a-  
gunt

gunt pro more illo, quem, hanc vitam degentes, fuerunt secuti. Miranda sane est JOANNIS HARDVINI argumentatio, qui, (n) ad verba *Mitte Lazarum* ita commentatus fuit: *Possunt sancti, in cælo positi, precibus suis adiuvare eos, qui sunt in purgatorio. Existimabat stulte dives, posse similem ab his ad se beneficentiam redundare. Cuius erroris ab Abrahamo deinde arguitur. Hæc ille. De purgatorio, quod ab orco diversum sit, nec Plato nec Pharisei ea ætate quicquam nouerant. Purgandis utriusque orcum eundem adsignabant. Deinceps hæ duæ sententiæ admodum inter sese dissident, quarum hæc est una: Sancti, in cælo positi, precibus suis iuvare possunt homines, salutis capaces, per suam apud Deum gratiam. Altera autem hæc est: Hominum est, sanctos opem & in adversis auxilium orare. Anne autem dives ille parabolicus fuit in purgatorio situs? Ignorat sacer codex, semper canonicus, illud purgatorium; terminumque salutis, quæ hominibus contingere potest, articulum mortis esse, dictitat. Numquid vero ex clamore & imploratione hominis, cruciatibus sempiternis subiecti, exculpi potest hæc ratiocinatio: *Possunt sancti, in cælo positi, precibus suis adiuvare eos, qui sunt in purgatorio, flecto animas**

(n) *Commentar. in Nov. Test. p. 213.*



marum receptaculo, quod superstitio & lucri cupiditas stabiliuit. Id vero confequitur ex actionibus viri parabolici eiusque diuitis, 1) mentes hominum cum corpore extincto haud interire, sed corporibus superstites manere: 2) mentes hominum separatas haud deposuisse sensum & conscientiam, nec dormire: 3) dari supplicia infernalicia eaque sempiterna: 4) puniri improbos congruenter vitiis illis, quibus maxime fuerunt addicti, vt, cur ita puniantur, rationes intelligant euidenter. Gustu & linguæ illecebris perhibetur peccasse diues. Quid igitur mirum, si pœnas posthæc sustinuit, delicto congruentes? Parabola abit in colloquium & redditur apologus. Apologum confimilem exhibuit PLATO (o). Nec eum esse infrequentem, norunt vniuersi. Tandem obiter adnotandum est, formulam loquendi  $\beta\acute{\alpha}\pi\tau\epsilon\upsilon \dot{\upsilon}\delta\alpha\tau\omicron\varsigma$  positam esse per elliptin pro  $\beta\acute{\alpha}\pi\tau\epsilon\upsilon \epsilon\phi' \dot{\upsilon}\delta\alpha\tau\omicron\varsigma$  (p).

§. XII.

Cruciatus epulonis denotatur per vocem  $\dot{\omicron}\delta\upsilon\delta\alpha\epsilon\delta\alpha\iota$ , quæ angorem & excarnificationem, nec non grauissimos dolores, complectitur. Rom. IX, 2. Act. XX, 38.

Yy 3

Luc.

(o) Spencerus ad Origenem contra Celsum p. 36, f.

(p) Lambertus Bos de Ellipsi graeca p. 329. (p)

700 Jo. Christ. Harenbergii Exposit.

LUC. II, 48. Flamma dicitur cruciatibus fuisse fecunda, ne dubitemus, pœnas infernales esse continuas, perpetuisque quasi incrementis & alimentis perdurare. Persuasit sibi SWINDENIVS Anglus, infernum cruciatuumque sedem existere in sole q), quoniam Astronomorum observationes docent, superficiem solis igne perpetuo, ex flammis non intermittentibus, ardere. Quam infirmo stet talo hæc sententia, non solum HAFERVNGIVS Vitebergæ, sed alii etiam alibi, examine instituto, demonstrarunt. Quanta autem vicissitudo obruit defuncti epulonis animam! Abrahamum ipse adiit precibus, cuius fidem antea nec nouerat ipse nec imitatus erat. Lazari consortium & ab eo recreationem orat, quem olim domum suam negauerat intromittendum. Lingua dolores conqueritur, cuius quondam delicias pro Deo reputauerat. Sedet inter flammæ, qui olim tenerrime focillaue-  
rat artus, lectisque splendidis iuxta ac mollissimis incubuisse consueuerat. In Abrahamo nil opis inuenit: nil refectionis ex Lazaro in ipsum redundat. Utinam ei, qui cuticulam heic curant corporique saginando indulgent, &, viribus animæ a Deo inter hæc auerlis, voluptatibus suis  
lirant

(q) *Acta eruditorum latina* Lips. a. 1715. p. 108.



litant & operantur, hoc ipsum debite pen-  
sitarunt & ad sublimiora animum in tempo-  
re adplicarent!

## §. XIII.

Quid vero Abrahamus ad gemitus di-  
uitis, oblectationibus exuti, respondisse  
fertur? *Dixit ipse (v. 25): Fili, recordare,  
te percepisse bona tua in vita (priori), Laza-  
rumque peræque mala. nunc vero hic solatio re-  
focillatur; tu vero cruciatibus oneraris!* Ani-  
ma humana retinet, corpore deposito,  
præteritarum actionum conscientiam, ut  
ipsa retributionis sentiendæ sit capax. Re-  
manet enim vis actuosa, mentibus insita  
per naturam, post corporis mortem. Ita-  
ne malum est, opibus excelluisse in hac  
vita? non per sese quidem, sed ob addi-  
tamenta mala. Homo, qui illecebris sen-  
suum in hac vita facit satis, est species  
quædam & imago Phœnicis. Gratiissima  
congerit ipse & exstruit nidum, ut suis  
conflagret bonis. Falsis persuasionibus  
ipse se pascit & occaecat. Pretia & mo-  
menta rerum vera haud adtendit. Ni al-  
teri nocuerit, nocuit ipse profecto sibi  
quamplurimum. Ordo enim animæ seu  
perfectio moralis exigit, ut facultates con-  
spirent cum destinatione sui genuina &  
vera. Sensiones animæ, ab hoc scopo  
disli-

disidentes, obtundunt conatum, mentibus inditum & sublimiora anhelantem. Sensiones illecebrarum peccati subigunt hunc conatum, & veluti fortiores radii obscurant eos, qui adparent obscuriores. Quanta vicissitudo instat diuitibus, qui in eis sibi videntur beati eisque confidunt! Ea, quæ sensibus sunt grata, post hanc vitam absunt oblectamenta. Nihil delectat amplius carnem. Mentes vero improborum carent veris ornamentis. Cura, diuitiis & splendori intentæ, periire nullumque spondent usum amplius. Opu-  
**l**entorum vim, dominatum, tyrannidem, magnitudinem adfectatam, nemo amplius metuit, nullus est, qui colat. Absunt opes! adminicula titillationum, & illecebrarum adiumenta, evanuerunt. Anima nihilo segnius recognoscit præterita, & cum eis in comparisonem adducit præterita & futura. Pauper contra, per mortem corpore solutus, posuit paupertatem & dolorem velat onus, ac respirat a v-  
**o**culis improborum, virtutem indoratum cauillantium. Respexit ipse ad meliora, & bona, quæ ipsi in hac vita fuerunt denegata, sitim ei iniecerunt adspirandi ad  
**s**umma, in quæ nec tyranno, nec auctoritati humanæ est facultas & licentia. Impetiuit Deus id virique, quod hic desiderio præcipuo adpetiuit & complexus  
 fuit;





animosque, obsecro, quotquot illecebras vitæ huius odistis mundoque ad scopum salutis veræ retinendum utimini! Levisissimi momenti sunt ea, quibus heic haud ægre caretis. Obfirmate vos & obdurate ad consolationem, quam Jesus vobis promittit & offert, sempiternam! Instat & adpetit tempus refocillationis (x), ærumnarum finis.

## §. XIV.

Pergit Abrahamus in apologo (v. 26): *Et præter hæc omnia inter nos, beatos cœlites, & vos, tartari hospites, hiatus magnus firmatus fuit, ut, si qui vellent transire illinc ad vos, transire ne possint, neque illi, qui inde transire vellent, ad vos traiciant.* Sensus hæc est summa. Cœlites beati non possunt mitti ad eos, qui in tartaro supplicia sustinent, nec superest ex tartaro reditus damnatis in paradysum seu in gaudii sempiterni sedem. Fefellit ORIGENES, qui opinatus fuit, cœlites beatos in conditionem miseriarum relabi posse. Faluntur illi, qui, ex tartaro mentes ad regnum

(x) Aët. III, 20. Locum felicitatis sempiternæ vocari in Oraculis Zoroastris v. 248, f. *paradysum*, docuit Cl. Joannes Ernestus Scaubertus *Historia phibol.* P. I. Sect. I. c. 2. § 21. p. 33. Conf. Goriionides VI, 57, p. 881.



gnum gloriæ euehi posse, sibi (y) persuadent, ac olim (z) persuaserunt. Ratio dictionis non abhorret a veterum opinione. Nam & Græci (a) & Latini (b) & MOHAMMED ipse (c) *chaos ingens*, μέγα χάσμα, apud inferos dari crediderunt. *Hiatus* hic instar *voraginis* ac faucium inanium fuit representatus, quæ hospites novos ceu prædam adpetere videantur. Quum symbola hieroglyphica ante litteras inuentas fuerunt in usu, videntur mortales, vfi hac imagine, quam Hebræi חַשְׁמַל adpellarunt, *Scheol*, ex *Schaal* adpetendo, concupiscendo. Imaginis antiquitas, symbolique usus admodum peruagatus, coniecturam meam, ni stabiliunt, certe ad magnum versimilitudinis gradum prouehunt. Antiquissimi enim telluris incolæ res, a sensibus abductas, signis sub sensum cadentibus & cogitatione & scribendo expresserunt.

§. XV.

- (y) D. Thomas Ittig. de *Novis Fanaticorum purgatoriis*.
- (z) Albericus Monachus in *Chronico* ad a. 997 & ad a. 1023. Sigebertus Gemblacensis ad a. 998. Zoroastris *Oracula* v. 241, sqq.
- (a) Hesiodus in *Theogonia* v. 740. Zoroastris *Oracula* v. 240, 241, sqq.
- (b) Jacobus Elsnerus *Observat. sacrar. in libros historicos* N. T. To. I. p. 256.
- (c) Alcoran. *Sur. VII*, v. 46. Maraccii *Prodromus III. ad refutationem Alcorani* p. 91.

## §. XV.

Prouehitur Apologus, ac diues, qui repulsam tulerat, perhibetur nouum quiddam expetiuisse. Dicitur enim ipse in orco, hac ad Abrahamum per hiatum illum exclamando, sic dixisse (v. 27, 28): *Oro igitur te, Pater, quum precibus meis adlatis locus non est, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut luculente testificetur ipsis veritatem de statu post mortem ingruente, ne & illi veniant in hanc excruciationis (\*) locum.* In Apologis repræsentari solent nuncii ac beati cœlites, qui in hanc vitam misi feruntur (d) ad Dei mandata huc perferenda. Mirum vero videri possit, dari hospites sedium miserrimarum, qui misericordia in eos, quos reliquerunt vitam hanc agentes viuosque, ferantur. Quis enim ignorat illud tritissimum, quod sermone omnium frequentatur? *Solamen miseris socios habuisse malorum.* At opera primum fuerit animaduertisse, de hac miserrima

(d) Plato L. X. de Republica p. §18.

(\*) Τόπον τῆς βασάνος. Sic vocant locum, in quo carnifices instrumenta cruciatuum exponunt, quibus homines affligant. Dolor exquisitissimus grauisissimisque dicitur a Græcis βάσανος. Alcimus obiit, apoplexia tentatus, μετὰ βασάνος μεγάλης, cum cruciatu magno. 1 Mace. IX, 36.



ricordia nullam heic fieri mentionem. Respiciendum est interpreti litterarum sacram ad adfectum & scopum loquentis. Scopus vero epulonis, ad orcum dampnati, in eo versatur per apologi nexum, vt dampnatus oblique ostendat, subministrandas esse hominibus in hac vita luculentiores de statu mentium, morti corporis superfluum, demonstrationes. Eo ipso reprehenditur ordo salutis, a Deo constitutus. Hoc ipso dampnatus sese putat pati indigna ac immerita. Eo ipso sapientiæ Dei intuentur dica. Sapientissimus enim Deus, iudice epulone per apologum representato, posset, immo deberet, sapius mentes, ad orcum deturbaras, in hanc vitam reuocare, vt hæc viuis exponerent cruciatuum magnitudinem & viui homines ea percellerentur atque ad frugem redirent. Putat itaque epulo, vim in verbis mentium, ita reuocatarum, fore maiorem, quam in ipso Dei verbo, quod lectioni Judæorum singulorum patebat. Ex responsione Abrahami satis superque intelligitur, inesse orationi epulonis scopum, haud alium, nec in ea locum esse vlli misericordiæ, licet, huic in damnatorum mentibus locum esse, ex hoc loco exsculpere & per coniecturam comprobare studuerit olim magnus ille GODE-

DE-

DEFREDVS GVILIELMVS LEIBNITI-  
VS(e). Adfluit orbis terrarum epuloni-  
bus confimilibusque scurris, qui nolunt  
credere, dari statum animæ, post hoc æ-  
uum perdurantis, caussari æque, nondum  
rediisse quemquam ex illa animarum post  
hanc vitam sede, ideoque rationem illi-  
us status haud magnopere esse habendam.  
Quid vero ipsi dicturi essent, mente vni-  
ca ab inferorum tormentis ad ipsos re-  
uerfa? Nonne tum ludibria oculorum ac-  
cusarent? nonne mentibus illis fidem de-  
negaturi essent? nonne miracula denuo ab  
eis, ad fidem dictis faciendam, essent effla-  
gitaturi? nonne miraculis eiusmodi oppo-  
nere possent obiectiones & nugas perquam  
frivolæ, quas nunquamnon miraculis ge-  
nuinis stulti opposuerunt? Et quid tan-  
dem de hoc mundo eiusque ordine sa-  
pientissime instituto fieret, si Deus in gra-  
tiam epulonis vel farui cuiusque, ad tar-  
tara descendentis, effecturus esset mira-  
cula? Delineauit Jesus egregie animum,  
quo empæta sunt imbuti, & quem eidem  
in altera vita nolunt dimittere. Habent  
improbi semper, quod in æconomia sa-  
lutis, diuinitus exhibita, fastidiunt & re-  
prehendunt. Existimat epulo, oblique  
dicax, se in gehennam haud descendurum  
fu-



fuisse, si argumentis & documentis, con-  
 uictionem plenam conciliantibus, in  
 tempore fuisset illustratus & edoctus. Quid  
 vero per quinque fratres designatum est?  
 Homilæ solent eos in aleatorem, po-  
 tatorem, scortatorem, auarum, & adro-  
 gantem seu superbum, vel similia monstra,  
 conuertere. Laudamus cogitata pia, ad  
 mortales a vitiis absterrendos inuenta.  
 Requiritur soliditas. JOANNES HAR-  
 DVINVS (f) probabilem hanc adfert con-  
 iecturam: *Quinque hi fratres, Pharisei illi  
 auari sunt, qui audiebant hæc, ut dicitur  
 versu 14. Nam propter hos dicta hæc a Do-  
 mino parabola est. Pharisei, inquam, fra-  
 tres quinque diuitis istius sunt, tum quia diui-  
 tes ipsi & auari, tum quia Judei, ut ipse,  
 quinque libros Moſis pro regula vitæ perinde  
 habentes. Eam ob rem quinque ponuntur a  
 Christo. An rem acu tetigerit Jesuita, aliis  
 relinquimus arbitrandum. Solebant, nisi  
 fallor, Pharisei in species quinque diuidi  
 diuersisque dignosci cognomentis, ab  
 Hottingero enumeratis (g). Huc respe-  
 xisse Seruatorem potius, crediderim.*

§. XVI.

Festinamus tandem ad apologi finem.  
 Restant enim non admodum multa. Di-  
 cit

(f) Adh. I. p. 213.

(g) In *Theſauro philologico* I, I. Sect. 5.



cit ipsi (epuloni) Abrahamus : Habent (fratres illi) Moſen & prophetas. audiant illos (v. 29). Ipſe vero (epulo) dixit: Non, pater Abraham. ſed, ſi quis a mortuis (ex cœtu mentium ſeparatarum) profectus fuerit ad ipſos, (ipſi) reſpiſcent (v. 30). Dixit autem illi: Si Moſen & Prophetas non audiunt, nec, ſiquis e mortuis reſurrexerit (& ad ipſos venerit cum documentis & argumentis), perſuaſionibus locum relinquent (v. 31). Sic ea, quæ epulo in œconomix ſalutis modo & demonſtratione deſideraſſe videbatur, ſolide ſunt elixa & proſtrata. Qui enim adminicula gratiæ ordinariæ vilipendunt, ei extraordinariis argumentis haud commouentur. Si epuloni Abrahamus gratificatus eſſet, apologi ſic natura tuliſſet, ut reſpondiſſet epulo, cur mihi ſimilis gratia haud contigit? Improbi & verſipelles empactæ per cuniculos & obliquos Mæandros ſolent technas & diſputationes inſtruere, ut illaqueent ac ſannis deinde excipiant collocutores. Horum indolent Magiſter ſummus graphice & luculentiffime expreſſit. Conſuetudines cogitandi prauas prauæ mentes ne quidem exuunt, in conditionem, morte poſtერიorem, tranſlati. Solent Moſes & prophete deſignari, quum totus V. T. codex denotatur. Singulis vero ſabbatis ex Moſe aliquot partes (Paraſchæ dictæ) & ex Pro-



phetis lectiones (Haphtharæ adpellatæ) publice prælegebantur apud Judæos. Act. XIII, 15. XV, 21. (h) Sæpius per prophetas intelligendi sunt omnes V. T. scriptores. Act. III, 21. X, 43. Alibi memorantur *Moses, prophete, & psalmi* seu hagiographa. Luc. XXIV, 44. Alibi *Moses & prophete* duntaxat laudantur. Act. XXIV, 23, & eo ipso hagiographa per prophetas simul existimantur designata. Alibi *lex* sola in censum venit Rom. IX, 4. Alibi *littere sacræ & scriptura* laudantur, quum codex V. T. vniversus est intelligendus. Rom. X, 11. I, 2. IV, 3. XI, 8. 1 Cor. XV, 3. 4. Gal. IV, 30. 1 Tim. V, 18. 2 Tim. III, 15. Ad litterarum sacrarum testimonia prouocat Abrahamus, ad ea prouocauit Iesus, ad ea prouocarunt Apostoli. Nihil cum doctrinis, per manus traditis, Abrahamo est commercii. Paulus horret vnicum *παρ' ὃ, vnicam sententiam, euangelio adfutam*. Gal. I, 8. 9. Non sollicitus est Abrahamus de eo, an quinque illi fratres fuerint Clerici, an Laici? Remittit ipsos Abrahamus simpliciter ad studium, sacris litteris adpellendum. Eandem viam institerunt Apostoli. 1 Thess. V, 27. 1 Cor. X, 15. Act. VII, 11. Pontificius si fuisset epulo, T. III. P. IV.                      Z z                      addi-

(h) J. G. Pricii *Introducctio in Lectionem* N. T. c. 46. §. 11.

addidisset ipse fortassis obiectionem, dictitans, fratres illos quinque esse Laicos, quibus lectio sacri codicis haud congruat: traditiones esse adiungendas &c. Perspicimus itaque ex apologo, 1) œconomiam salutis diuinitus reuelatæ e sacris litteris esse hauriendam, 2) neque extraordinarias reuelationes esse circumspiciendas, 3) doctrinas, per manus traditæ solitas, in negotio salutis sempiternæ incensum haud venire, 4) mentes hominum morti esse superstites (i) ac immortales, 5) animas piorum post mortem statim in locum consolationis peruenire & ipsas posthæc a Deo haud desciscere, 6) animas impiorum non redigi in nihilum; sed pœnas sempiternas luere, e quibus haud possint eluctari in consolationis sedem, 7) ipsas morem ratiocinandi sinistram fecum ad gehennam deportare, 8) existere duas animarum sedes, cœlum & gehennam, 9) conscientiam in mentibus separatis perdurare incolumem nec in somnum conuertri. Faxit modo summus ille animarum humanarum conditor & arbiter, ut hanc vitam congruenter ordini salutis, diuinitus detecto, ita transigamus, ne cui cau-

(i) Cicero *Quest. Tusc. L.I. p. 1109.* *Permanere animos, arbitramur consensu nationum: qua in sede maneat, qualesque sint, ratione discendum est.*



Cap. XVI. Lucæ. Sect. III. &c. 713

causa suboriatur de perpetuo atque sempiterno cruciatu conquerendi. Momento pereunt, quæ delectant; sempiterna sunt, quæ torquent & excruciant. Adsis, obsecro, nobis, propitius Deus! Amen.

IV.

JOHANNIS RODOLPHI  
GRVNERI

DISQVISITIO

DE

CORNVBVS ARÆ, IN  
TABERNACVLO AC  
TEMPLO DEO O.

M. SACRÆ,

EORVMQVE RATIONE AC  
MYSTERIO.

*Argumentum.*

§. I. *Quid Cornu in S. Literis denotet primò.*  
§. II. *Quid Profane Antiquitatis*  
*Scriptoribus.* §. III. *Cornua præsertim Fla-*  
*minibus tribuuntur & quare?* §. IV. *Quid*  
*Cornu secundo loco in S. Scriptura significet,*  
*scil.*

Zz 2

scil. extremitatem. §. V. Eodem sensu etiam apud Profanos Scriptores occurrit. §. VI. Quenam fuerit Cornuum in Ara Mosaica vera figura. §. VII. Eadem tractatur. §. VIII. In Religione Gentilium etiam inveniuntur Arae Cornibus instructae. §. IX. Num omnes Arae ad Veri Numinis Cultum erectae Cornibus fuerint conspicuae. §. X. Quenam ratio fuerit Cornuum in Ara, ubi refellitur Villalpandus. §. XI. Aliae quaedam sententiae examinantur. §. XII. §. XIII. Notatur sententia Spenceri. §. XIV. Verus usus Arae Cornuum indagatur, isque triplex statuitur, primò ad Ornamentum. §. XV. Ad Expiationem. §. XVI. Ad Asylum inservisse observatur. §. XVII. Idque non solum ad integram Aram sed praecipue ad ejus Cornua esse referendum demonstratur. §. XVIII. Gentilium Aras Refugium praebuisse differitur. §. XIX. Non raro tamen ejusmodi Asyla fuisse violata ob supplicum scelera nefanda. §. XX. Quenam fuerit Cornuum Arae Mosaicae Mystica significatio. §. XXI. Adumbrarunt J. Christum ratione excellentiae. §. XXII. Ratione expiationis. §. XXIII. Praesertim representavere Divinam Messiae Naturam. §. XXIV. Quod evincitur, ex aspersione sanguinis piacularis in Cornibus peracta. §. XXV. Ex Refugio quod ritè Supplicantibus praebuere.



§. I.

**Q**uum Celeberrimi Auctores Actorum Erud. Lips. Mense Majo A. 1741. p. 278. seq. Diatribem meam de PRIMITIIS, ante aliquot annos Lugd. Batavorum editam, recensentes, publico me rogarent nomine, ne in semel incepto stadio subsistam, non potui tam blandæ rogationi à tantis Viris, mihi citra ullum meritum, quod gratus agnosco, factæ, repulsam dare; idèò, licet otio non valde abundans, paucis exponam, quæ mihi observata de Figura, Ratione ac Mystero CORNVVM, quæ olim in utriusque Aræ à Mose jussu Divino fabricatæ extremis oris extitere. Nuper quidem audiui, Virum Celeb. Dav. Millium\* de hac materia Dissertationem cum orbe literato communicasse; sed iste Viri Cel. labor sine dubio doctissimus, uti omnia ejus, in oras nostras nondum pervolavit, frustra saltem à me fuit quæsitus; Quare B. Lectorem cui ad manus est, rogarum vellem, si forsitan hinc vel inde easdem observationes in labore Milliano, quas in meo dedi, deprehendet, me non plagiariorum indici adscribat, sed inde discat, quam facile duobus in eodem decurrentibus stadio, unæ eademque nasci possint rerum quas tra-

Zz 3

\* Recudi illam curavimus in Thes. Nov. T. I. p. 309. C. I.

stant ideæ. Indaganda breviter erit vocis Originalis *ꝑꝑ* quæ vulgariter per *Cornu* redditur, genuina significatio. Præter illam propriam proximamque, illa capitis membra ornamentaque designantem, quibus plurimæ ac pulcherrimæ è quadrupedibus sunt instructæ, adhuc duplicem invenio.

PRIMA est qua denotat *Robur*, *Potentiam*, *Celsitudinem atque Excellentiam*, ceu quibus fere cuncta præpollent, inter cætera, animantia cornubus instructa, uti harum qualitatum documentis. Exempla hujus significationis in S. Literis sunt admodum frequentia; Moses Tribus Josephi decantans *Potentiam* virtutesque bellicas Deut. XXXIII. 17. ita, *Bovis primogeniti possidet decorem*, *Cornua Monocerotis Cornua ejus*. Privatio *Potentia*, dejectio gloriæ &c. exprimitur per Privationem *Cornuum*; Psal. LXXV. 11. *Omnia Cornua improborum succidam*; Jer. XLVIII. 25. *Succidetur Cornu Moab & brachium ejus fractum erit*. Vide etiam Thren. II. 3. Zach. I. 21. Job. XVI. 15. E contra firmatio *Potentia* designata per elationem *Cornuum*, uti Psal. LXXV. 11. *exaltentur Cornua Justi*. Vide quoque Psal. CXLVIII. 14. LXXXIX. 18. Amos. VI. 13. Ps. LXXV. 5, 6. Ita in Medras Schemuel sumitur pro excellentia, ubi decem recensentur *Cornua*, scil. *Cornu Abrahami*, *Isa-*



Isaaci, Moſis, Legis, Joſephi, Sacerdotii, Leviticum, Prophetiæ, Domus ſanctuarii, & Cornu Iſraelis, vti videndum apud Clar. Buxtorfium Lexic. Thalm. col. 2139. Nec aliter Græcorum κέρας, quo Heb. קרן ac Lat. Cornu exprimitur, docente Suida hac Voce. Κέρας. ἡ ἰσχύς παρὰ τῇ θεῷ γεαφῇ ἐν μεταφορᾷ τῶν ζώων τῶν κατωπιςµενῶν τοῖς κέρασι, καὶ τέτοις ἀµυνοµένων. h. e. Cornu. hac Voce in S. Script. Robur ſignificatur, per translationem ductam ab animalibus quæ cornubus ſunt armata, uſque vim propulſant. Idem paucis interjectis: Κέρας. ἰσχυρόν τι δηλοῦν, καὶ µόνιµον. Δαβὶδ. ἐκεί-ἐξανατελῶ κέρας τῷ Δαβὶδ. Cornu. Robuſtum ac ſtabile quid denotat. David. Illic exoriri faciam Cornu Davidis. Generaliter ergo קרן Sacris Scriptoribus emblematicè denotat fortitudinem; inde eſt Symbolum R. Regiæ Majestatis quam Spiritus S. ipſemet hoc depinxit emblemate Dan. VII. 24. VIII. 20, 21. ita de Davide Pſal. LXXXIX. 25. Adeò fides & benignitas mea ei aſſuturæ, ut in nomine meo extollatur Cornu ejus. Vide etiam Pſal. XCII. 11. CXII. 9. ita Zach. I. 18, 19. quatuor. Cornua quæ diſſiparunt Judam, Iſraelem & Hieroſolymas; tot ſunt Reges, nec non Apoc. XIII. 1. & XVII. 12. Decem Cornua notant Decem Reges ex mente Cœleſtis Interpretis. 2. In eminentiore adhuc ſenſu eſt Symbolum Divinæ gloriæ Summæque Maje-

*statis Caelestis*, in Salvatore Mundi, qui Θεὸς  
 δόξαυς καὶ Θεὸς σοφία, effulgentis, qui in  
 Carne manifestatus, nihilominus audit κέ-  
 πας σαρπλάς Luc. I. 69. hoc emblemate  
 longe antea ab Hieropsalte depictus, uti  
 Psal. XLIV. 5. XVIII. 3. CXXXII. 17. ibi  
*efficiam ut germinet cornu Davidis, aptavi lu-  
 cernam uncto meo.* Vide Habac. III. 4.

## §. II.

Apud Scriptores Profanæ Antiquitatis  
 non rarè *Cornua* sumta invenies pro sym-  
 bolis Roboris atque excellentiæ; apud A-  
 rabes Verbum كَرْن in quarta Conj. notat  
 posse, prævalere, Alkorani Surar. XLIII. 12.  
 & كَرْن eminentem montis Verticem, item كَرْن  
 אֱלֹהִים Dominum, Herum, apud Gigue-  
 jum, observante Clariss. VRIEMOET in e-  
 rud. Diff. de Schiloh, cap. 5. p. 128. nec  
 immeritò, sat enim notum, potissimum  
 animalium Robur, ubi cornubus sunt in-  
 structa, in iisdem consistere, quod Aristo-  
 teles observat Hist. anim. Lib. IV. cap. 8.  
 unde *Cornua* exprimunt animum fortem  
 ac impavidum, uti in illo Horatii Carm.  
 Lib. III. Od. 21. vers. 17. de Vino;

*Tu Spem reducis mentibus anxiiis,  
 Viresque: & addis Cornua pauperi.*

Ubi Vetus Scholiastes notat; *Per Cornua  
 Violentiam, & per hoc Violationem Cerebri in-  
 telli-*



de cornubus aræ in tabernac. &c. 719

telligi vult. Idem Epod. Od. VI. vers. 11.  
Cave, cave, namque in malos asperrimus  
Parata tollo Cornua.

Apud Ovidium Cornua sumere est indignari,  
se contra opponere, uti Trist. Lib. IV. eleg. 9.  
vers. 27.

Jam feror in Pugnas, & nondum Cornua  
sumsi,

Nec mihi sumendi causa sit ulla velim.

Idem Amor. Lib. III. eleg. 11. vers. 5.

Vicinus, & domitum pedibus calcamus  
amorem,

Venerunt Capiti Cornua sera meo.

Sic Mestra apud eundem Metam: Lib.  
VIII. v. 881. narrat

Nam modo quod nunc sum videor, modo  
flector in anguem,

Armenti modo Dux Vires in Cornua sumo,  
Cornua dum potui.

Baccho Cornua attribuit Art. Am. Lib.  
III. v. 347.

O ita Phoebe velis, ita Vos pia Numina  
Vatum,

Insignis Cornu Bacche, novemque Deæ.

& Heroid. Epist. XV. v. 23.

Sume fidem & pharetram, fies manife-  
stus Apollo.

Accedant capiti Cornua, Bacchus eris.

Cujus Cornua Taurina erant teste Porphyrio de Abſtinent. Lib. III. pag. 284. Hinc tot Deaſtrorum figuræ cornutæ, e quibus notiſſimus Corniger Hammon cujus laudibus omnia Gentilium Poetarum perſonant carmina, figurasque rariffimas elegantiffimasque exhibent Illuſt. Viri SPANHEMIVS, BEGERVS, & MONTEFALCONIVS. Ita Harpocrates Ægyptiorum Numinum adſiduus Comes, qui ſecundum Ampl. CVPERVM idem cum ſole, depingitur monſtroſum gerens Pileum duobus inſtructum Cornubus, quorum alterum ſuper frontem recurvatum, alterum ſuper aurem in humerum deſcendens dextrum conſpicitur, cujuſmodi aliquot figuræ exhibentur à Doctiſſ. MONTEFALCONIO Antiq. Explic. Tom. II. pag. 302. Juno Ammonia apud Eleos culta, Jovis Hammonis Conjunx, itidem cornubus inſignis fuit exhibita, ſed Caprinis, de qua Pauſanias Lib. V. cap. 15. Pyliorum Nummum cum ejusmodi Junonis facie exhibet Illuſt. SPANHEMIVS de præſt. Num. Diſſert. VII. pag. 391. edit. Lond. & MONTEFALCONIVS Tom. I. pag. 56. fig. 22. plures ejusdem Divæ Typos dedit depiſtos.

## §. III.

Præſertim verò Antiquitas Fluminibus tribuit Cornuâ, ob curſum rapidum ac  
vin



de cornibus aræ in tabernac. &c. 721

vim planè invictam, ita Martialis Lib. IX.  
epig. 104. de Domitiano

*Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri,  
Sudantem Getica ter nive lavit equum.*

Val. Flaccus Argonaut. Lib. VIII. v. 186.  
de eodem Istro canit.

*Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus  
Istri,*

*Fundere non uno tantum quem flumina  
cornu*

*Accipimus.*

Idem, Lib. I. v. 106.

*Silvarumque Deæ, atque elatis Cornibus  
Amnes.*

De Hebro ita canit Statius, Thebaid.  
Lib. VII. v. 64.

*Querere Templorum Regem vix cœperat ales  
Menalius, trenit ecce solum, & mugire  
refractis*

*Corniger Hebrus aquis.*

De eodem Claudianus in Eutrop. Lib. II.  
v. 163.

*Cornua cana gelu mirantibus extulit undis  
Hebrus, & exanguem glacie timor alligat  
Istrum.*

Idem de Tiberi, de Prob. & Olyb. Consul.  
- - - Taurina levantur

*Cornua temporibus raucos sudantia Rivos.*

De

De eodem Virgilius Æneid. VIII. v. 77.

*Semper honore meo semper celebrabere  
donis.**Corniger Hesperidum fluvius Regnator a-  
quarum.*

Servius hic notat: *Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum Boum imitatur murmur undarum, sive quod plerumque in cornuum similitudinem curvatas cernimus ripas.* Cum eo congruit Strabo Lib. X. pag. 703. edit. Amst. ταύρω μὲν εἰκότα λέγεσθαι τὸν Ἀχελῷον Φασί, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ποταμούς, ἀπὸ τε τῶν ἡχῶν καὶ τῶν κατὰ τὰ ρεῖθρα κομπῶν ὡς καλεῖται κέρατα &c. βέβαιον δὲ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν δι' ἣν καὶ ταυρωπὸν. i. e. Tauro similem forma Acheloum ajunt, ut & alios Fluvios ob strepitum & flexum alveorum qui cornua dicuntur &c. Taurina fronte ob eandem causam quæ ei bovis formam tribuit. Imò hercle etiam ob ingentem eorum impetum fluxumque non rarò cuncta adjacentia pessundantem, ut è mox adferendis non obscure patebit. De Nilo ita Nasonis sonat dictum Metam. Lib. IX. v. 772.

*Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pha-  
ronque**Quæ colis, & septem digestum in Cornua  
Nileum.*

De



de cornubus aræ in tabernac. &c. 723

De Eridano qui & Padus juxta Servium ita  
Maro Georg. Lib. IV. v. 371.

*Et gemina auratus taurino cornua vultu  
Eridanus, quo non alius per pingua culta  
In mare purpureum violentior influit amnis.*

De Ocinaro hæc invenies apud Lycophro-  
nem Alexand. v. 730.

*Λάσσει δὲ σῆμα βέκεως νασμοῖς ἀεγς,  
Ὀρνιθοπαῖδος ἴσμα φοιβάζων ποτοῖς.  
Abluet autem sepulchrum Corniger fortis,  
Semiavis extergens aquis monumentum.*

Imagines Fluviorum cornutas varias pro-  
duxit Illust. SPANHEMIVS loc. cit. pag.  
395. seq. uti Acheloi ex Veteri nummo  
Ambraciotarum, & Rheni Bicornis ex  
Nummo Posthumi Imperatoris; Non au-  
tem ob strepitum tantum aquarum flexus-  
que Alveorum Veteres Flumina repræsen-  
tasse Cornuta, sed juxta hæc causas quo-  
que ob fluctuum Vim gurgitumque impe-  
tum, declarat Scholiastes Euripidis ad  
Orest. v. 1380. citatus quoque à Spanhe-  
mio. Ἐπεικῶς δὲ τὰς ποταμὸς ταυρογέφυας  
ἐξωγέαφοντε καὶ ἔλεγον ἴσως ὅτι παραπλησίως τῷ  
μυκήματι τῶν ταυρῶν ἢ ἀπήχησις τῆς ὕδατος ποιεῖ  
ἐν τοῖς σφοδρῶς ρέουσι ποταμοῖς, διὰ τὸ βίαιον  
τῶν ὑδάτων, ἅπερ τὴν γῆν διαρρήσσει παρεμ-  
πίπτοντα, ὡς τοῖς κέρασι οἱ ταυροὶ. i. e. Com-  
modè verò Fluvios Taurina figura effinxere,  
dicentes, quod ferè ad instar mugitus Tau-  
ro-

rorum sonus reddatur aquæ in Fluviiis cum impetu sese præcipitantibus, etiam ob violentiam aquarum, qua Tellurem frangunt irruentes in illam, sicuti cornibus Tauri solent. Vide & Ælium Var. Hist. Lib. II. cap. 33. Eandem reddit rationem Festus, Taurorum specie Simulacra Fluminum, id est cum Cornibus, quod sunt atrocia ut Tauri. Ita ad illud Horatii Carm. Lib. IV. Od. 14. v. 25.

Sic Tauriformis voluitur Ausidus,  
Qui Regna Dauni præfuit Appuli.

Notat Scholiastes Acron, Omnium Fluminum famosorum vultus cum Cornibus finguntur propter impetus & mugitus aquarum. Idem confirmat Phurnutus de Natura Deorum Cap. XXII. τοὺς δ' ἐνεκεν καὶ τὰς ποταμοὺς κέρασ-  
Φόρους καὶ ταυρῶνας ἀναπλάττουσιν, ὡς ἀνὲρ βιαιὸν  
τι τῆς Φορᾶς αὐτῶν καὶ μυκητικὸν ἐχέσσης. i. e. Hinc  
ansam quidam acceperunt, ut fluvios quoque  
cornutos & taurina facie pingant, quasi violentum quiddam & mugitum rapidus eorum  
cursus ostendet. Sophocles in Trachin. v. 13. de imagine Acheloi fluminis hæc habet

- - - ἀλλ' ὅτ' ἀνδρείῳ τύπῳ  
βέκρηνος. - - -

Ubi Scholiastes notat; οἱ ποταμοὶ ταυ-  
ρόκρανοι διετυπῶντο, ἢ ὅτι μυκηθῶ εἰσι παρα-  
πλήσιοι περὶ τὰς ἐκβολὰς, ἢ ὅτι χρίζουσι τὴν γῆν  
ὡς οἱ βόες ἢ διὰ τὸ τὰς νομάς παρα τὰς ποταμοὺς  
εἶναι. Exemplum huiusmodi vallationis  
per



de cornubus aræ in tabernac. &c. 725

per fluvium, cujus aquæ alveum erant egressæ, causatæ exhibet Homerus in eleganti pictura de Xantho Iliad. XXI. v. 234.

- - - ὁ δ' ἐπέσσυτο οἴῳματι θύων.  
Πάντα δ' ὄρινε ρέεθρα κυκώμενος ὥσε δὲ νεκρὰς  
Πολλὰς, οἱ ῥα κατ' αὐτὸν ἄλλης ἔσαν, ἧς  
κτάν' Ἀχιλλεύς.

Τὰς ἐκβαλλὲς θύραζε, μεμνηκὸς ἥντε ταύρος.

- - - Ille verò concitus irruit tumidis  
fluctibus furens,  
Omniaque commovit fluentia turbidus, impu-  
lit verò mortuos

Multos, qui per eum affatim ruunt, quos  
occiderat Achilles,

Hos ejecit foras, mugiens Tauri ad instar.

Ex mugitu impetuque Fluviis quodammo-  
do cum Tauris communi, factum ut Fluviis  
ac ipsi Mari Veteres non rarò Tauros im-  
molarent, notante Phurnuto loco antea  
citato. Ita Lucullus post ritè Dianæ Per-  
ficæ solutos honores immolatamque bo-  
vem sacratam ultrò sese ad aram sistentem,  
ἔθυσσε δὲ καὶ εὐφράτη ταῦρον διαβατήρια, sacra-  
vit Euphrati quoque Taurum transitus causa,  
uti narrat Plutarchus in Lucullo Tom. 3.  
Pag. 171. edit. Londin.

§. IV.

ALTERA Vocis ἱρ significatio est,  
quod notat Oram, angulum, extremitatem  
ali-

alicujus corporis, etsi figura cornu animalis in illa extremitate propriè non observetur. Sic apud Jesajam cap. V. v. 1. legimus de Vinea Domini, quod sita fuerit **בקרן בן שמן** *in cornu filio olei*, i. e. *in summo Vertice collis uberrimi*, ubi R. Salomo annotat **בזירות העופה שירות שמנים כשמן טוב** *in angulo terræ proferente fructus pingues instar olei præstantis*. Abarbanel קרן exponit itidem quod sit Vertex, hunc in modum קרא מקום הגבהות קרן לפי שהקרן הוא האבר הגבוה מ' הכעל חי וידוע שארץ ישׁ: **גבה מכל הארצות**: i. e. *Vocavit locum altum Cornu, eo quod cornu est membrum altissimum in animante, notumque est terram Israelis esse omnium Regionum altissimam*. Ita etiam R. Sal. Ben Melech in Miel. Jophi ad h. l. exponit **כתרגומו בטור רם ובארע תמנה** *וכנה המקום בקרן לפי שהיה מקום גבוה* **ובן שמן שהיה רשן ושמן**: i. e. *Juxta Chaldaeos Paraph. exponitur, in monte excelsso & solo pingui, hicce locus comparatur cum cornu; eò quod est altus, & cum filio olei, quoniam erat pinguis & oleosus*. In Baba Kama fol. 82. קרן sumitur pro *compitis angulisque viarum*, ac inde homines otiosi novarumque rerum scrutatores ac sectatores haud in-scitè vocantur **קרנות יושבי קרנות** *sessores cornuum* i. e. *angulorum*; Sic R. D. Kimchi illud **לצים** Psal. I. v. 1. exponit per **יושבים** *בקרנות העיר ועוסקים בדברי שיחה* i. e. *seden-*



*sedentes in angulis urbis ac incumbentes verbis confabulationis i. e. otiosis. Ita Targumim illud ישיחו בי ושכי שער Psal. LXIX. 13. reddunt per קרנא בית קרנא בית i. e. loquuntur de me qui sedent in portis in loco angulorum. Similiter stylo Germanico dicitur קרנא דגלימא cornu pallii pro ejus ora vel angulo, & קרנא דלבוש cornu vestimenti, uti notatum à Cel. BVX-TORFIO invenio. In Misna Kelim cap. XVII. 9. ita legitur de angulis palatii super Portam Sufan qui vocantur Cornua h. e. extremitates ושתני אמות היו בשושן הבירה אחת על קרן מזרחית צפונית ואחרת על קרן מזרחית דרומית שעל קרן מד' צפ' היתה יתירה i. e. Duo enim cubiti erant in (conclavi) Sufan habbira, unus ad angulum Euro-Borealem & alter ad Euro-Austro-Borealem, nam ad priorem angulum erat redundantia supra Mosis cubitum dimidii digiti &c. Ita anguli ipsius Altaris super quos demum constituta erant Cornua, de quibus nunc inquirimus, etiam nomine Cornuum designantur, uti ex his Misnæ locis patet; ita in Middor Cap. IV. 5. ומסיבה היתה עולה מקרן מזרחית צפונית לקרן צפונית מערבית שבה היו עוליהם Cochlea surgebat ab angulo Euro-Boreali versus angulum septentrionem inter septentrionem & occidentem, qua ascendebant in tecta. in Tamid Cap. IV. 1. של שחק הורה נשחט על רקן צפונית מערבית*  
T. III. P. IV. A a a ער

על טבעת שניידה ושל בן הערבים היה  
 נשחט על קרן מזרחית צפונה על טבעה שנייה  
 וכו' i. e. *Agnus qui manè mactabatur ad Cor-  
 nu Septentrionale Occidentale ad annulum se-  
 cundum, qui inter duas vespervas offerendus,  
 ad cornu Euroboreale mactabatur ad annulum  
 secundum &c.* ubi Obad. deBartenora obser-  
 vat, *procul ab altari, quia altare altum erat,  
 & obscurabat ea quæ circa ipsum erant po-  
 sita &c.* His in locis verò per Cornu intel-  
 ligi, non illa quatuor ornamenta vertici  
 altaris imposita, propriè hac denomina-  
 tione intellecta, sed potius oram ac an-  
 gulos extremos alias dictos זווית idem Ma-  
 gister Hebræus clarius exponit ad Seba-  
 chim Cap. V. 4. ubi glossator Jom Tob  
 monet, לא בקרן שעל מזבח אלא כלומר, בזווית  
*non in Cornu quod in ara est, sed dice-  
 re voluit Textus Misnæ in angulo, i. e.*  
*propè s. e. regione huius aut illius anguli;*  
 Hæc confirmat R. Sal. ben Melech ad  
 Exod. XXVII. 2. ubi vocem קרן non tan-  
 tum de cornibus Aræ strictè sic dictis as-  
 sumi docet, sed etiam de ejus Angulis.  
 קרנות זווית וכן בלע הזוויות יקרא בלשון  
 קרן. *Cornua ejus. i. e. angulos, nam ita in*  
*Linguis exoticis anguli vocantur Cornua.* An-  
 guli duorum Panum Primitiarum nec non  
 extremitates Panum Propositionis vocan-  
 tur ab Hebræorum Magistris *Cornua*; ita  
 Misna Menachot, Cap. XI. 4. שתי הלחם  
 זרין



אָרְכָן שִׁבְעָה וָרֶחֶב אַרְבַּעָה וָקֶרְנֵיהֶן אַרְבַּע  
אֲצִבְעוֹת לֶחֶם הַפָּנִים אָרְכָן עֶשְׂרֵה וָרֶחֶב  
: חֲמֵשֶׁה וָקֶרְנֵיהֶן שִׁבְעָה אֲצִבְעוֹת : i. e. *Duorum*  
*Panum longitudo est septem palmarum, lati-*  
*tudo autem quatuor, & Cornua eorum qua-*  
*tuor digitorum; Panis unius Facierum longi-*  
*tudo est palmarum decem latitudo quinque, &*  
*cornua ejus septem digitorum.* Fuere hæc Cor-  
nua quædam excrescentiæ ex eadem fari-  
næ massa in formandis Panibus productæ,  
reliquæque massâ juxta hoc in loco de-  
scriptam mensuram altiores, ac in Cor-  
nuum quendam modum protuberantes,  
Cornua tamen dici minimè possunt nisi  
impropriè, pro extremitatibus ac angulis.

## §. V.

Eodem planè sensu voces κέρα & Cor-  
nu apud Græcos Latinosque occurrit, non  
admodum rarò designans *extremitatem*, uti  
Promontorii vel Regionis aliquantum in  
Pelagus procedentis; sic Diodorus Siculus  
Lib. III. pag. 201. edit. Rhodom. de Afri-  
ca fatur, Καὶ τὴν μὲν Ἀμαλθίαν ἀποδεῖξαι κυ-  
ρίαν τῆς σύνογγυς τοῦ πρὸς πάντας, ὄντος τῷ ὀρέματι  
παρὰ πλῆσιν κέρατι βοῶς, ἀφ' ἧς αἰτίας ἐσπέ-  
ριον κέρας προσαγορευθῆναι. i. e. *Posthæc Amal-*  
*theam cum imperio vicinæ Regionis præfecit, quæ*  
*cum figura bovis Cornu referat, Hesperium*  
*propterea cornu indigitatur.* Eodem modo  
Aaa 2 apud

apud Strabonem Lib. VII. pag. 492. edit.  
 Amst. Promontorium in Sinu Byzantino vo-  
 catur Κέρας. Ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ τὸ κέρας τὸ βυ-  
 ζαντίων πέντε. ἔσι δὲ τὸ κέρας προσεχὲς τῷ βυ-  
 ζαντίῳ τείχει, κόλπος ἀνεχὼν ὡς πρὸς δύοισιν ἐπὶ  
 σταδίῃς ἐξήκοντα, ἰσικῶς ἐλάφει κέρατι i. e. in-  
 de ad cornu Byzantium 5. stadia, est autem  
 id Cornu Byzantino muro conjunctum, sinus  
 versus Occidentem ad 60. stadia penetrans, si-  
 milis cornui cervino. De eodem Ammianus  
 Marcell. Lib. XXII. cap. 8. Constantinopo-  
 lis, vetus Byzantium Atticorum Colonia, &  
 Promontorium Ceras, prælucentem navibus  
 vebens constructam celsius turrim, qua propter  
 Pharos appellatur. Ita Pomp. Mela Lib.  
 II. cap. 4. de duobus notissimis Italiae Pro-  
 montoriis Salentinorum & Leucopetrae,  
 Verum ubi longè abii in duo Cornua finditur,  
 respicitque altero Siculum Pelagus altero Jo-  
 nium; Ut Ovidius Fastor. IV. v. 479. de  
 Sicilia

*Jamque Peloriaden, Lilybeaque, jam-  
 que Pachynon  
 Lustrarat, terræ cornua trina suæ.*  
 & alibi de Litore ubi quædam terræ partes  
 in mare sese extendunt, Heroid. Epistol.  
 II. v. 131.

*Est sinus, adductos modicè falcatus in  
 arcus,  
 Ultima prærupta cornua mole rigent.*  
 Q. Cur-



Q. Curtius eandem adhibet locutionem ubi de summitate Montis Tauri verba facit hunc in modum, Lib. III. cap. 4. *Namque perpetuo iugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur, quod quum à mari surgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum litus excurrit.* Nec non Florus Lib. IV. cap. 11. de collibus in mare prominentibus, ubi ait; *Positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montemque Leucaten, & Ambracii Sinus Cornua classe succinxerat;* eodemque cap. §. 9. *Itaque nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præsidii utraque Ægypti Cornua, Parætonium atque Pelusium profuere;* quæ alias à Tacito Hist. Lib. II. cap. 8. vocantur *Claustra Ægypti*, utrumque quod hæc munimenta extremitatibus Regni sita maximo fuere præsidio, adversus peregrè adventantium hostium impetum. Aliis quoque rebus invenimus ab antiquis Scriptoribus attributa Cornua, sensu improprio, pro summitate scilicet vel extremitate. Ita de Comitio Romano, sic dicto juxta Varronem quod eo coibant Comitiiis Curiatis, legitur apud Plinium Hist. Nat. Lib. XXXIV. cap. 6. *Invenio & Pythagoræ & Alcibiadi in Cornibus Comitiiis positas statuas.* Extremum Tribunalis quoque ita insignitur à Tacito Annal. I. cap. 75. ubi ita de Tiberio, *Nec patrum cogni-*

*tionibus satiatus, judiciis adsidebat in Cornu  
Tribunalis, ne Prætorem Curuli depelleret. &  
apud Livium Lib. XXV. cap. 3. Interim  
Publicani Cascae instare, ut consilio diem exi-  
meret; Populus reclamare; & forte in Cornu  
primus sedebat Casca, cui simul metus pudor-  
que animum versabat. Navigantibus Cor-  
nua sensu improprio erant terminus haud  
ignotus, teste Virgilio Æneid. Lib. V.  
v. 830.*

*Una omnes fecere pedem; pariterque si-  
nistros,*

*Nunc dextros solvere sinus; una ardua  
torquent*

*Cornua, detorquentque, ferunt sua fla-  
mina Classem.*

Ubi Servius Cornua exponit per *Antennarum  
extremitates*. Eadem mente Ovidius de  
navigantibus *Metam. Lib. XI. v. 475.*

*Obvertit lateri pendentes navita remos;  
Cornuaque in summa locat arbore, tota-  
que malo*

*Carbasa deducit, venientesque excipit  
auras.*

Osium Nili exitumque in mare vocatum  
invenio Cornu, eò quod sit extrema pars  
fluminis, ubi definit nec ultra conspici-  
tur, apud Thucydidem Lib. I. cap. 110.  
ubi ita de Atheniensium classi, *πεντήκοντα  
τριήρεις διάδοχοι πλέεσαι ἐς Αἴγυπτον, ἔχον κα-*

*τα*



τὰ τὸ Μενδήσιον κέρασ, *quingenta Triremi-*  
*buss vecti suis successuri, in Aegyptum naviga-*  
*bant, ad Mendesium Nili cornu appulerunt;*  
 ubi Scholiastes annotat, κέρασ καλεῖ τὴ Νεί-  
 δας τὸ σώμα καὶ τὴν ἐκβολήν. Quid Cornu a-  
 ciei, agminis &c. significet, nemo est qui  
 nesciat. Græcis Scriptoribus sapissimè  
 eodem sensu ac Latinis occurrit, uti apud  
 Thucydidem & Polybium passim viden-  
 dum, extremitates videlicet ordinis atque  
 aciei notat uti apud Jul. Pollucem Lib.I.  
 cap. X. segm. 126. καὶ τῶν μαχομένων, τὸ μὲν  
 ἔμπροσθεν, μέτωπον καὶ ζυγὸν καὶ πρόσωπον.  
 καὶ τὰ ἑκατέρωθεν ἄκρα, πλευρὰ, κέρατα, i.e.  
*anterior pugnantium pars frons dicitur, jugam*  
*& facies, utraque verò extremitates, latera,*  
*cornua. & Suidam, κέρασ. τὸ μέρος τῆς Φά-*  
*λαγγος ἐν τῷ πολέμῳ. καὶ τῷ τόξῳ. Cornu.*  
*in bello sic vocatur pars Phalangis, item pars*  
*arcus. nempe extremitates. Imo libris in-*  
*venimus Cornua attributa. Testis sit Naso*  
*Librum suum Tristium videlicet sic allo-*  
*quens Trist. Lib.I. eleg. i. v. 7.*

*Nec Titulus minio, nec Cedro charta no-*  
*tetur,*

*Candida nec nigra Cornua fronte geras.*  
 & Martialis Lib. XI. epig. 108.

*Explicitum nobis usque ad sua Cornua*  
*Librum,*

*Et quasi perfectum Septiciane refers.*

Aaa 4

Hæc

Hæc Cornua sunt Librorum extremæ partes, circa quas convoluti erant, & quia extra volumen complicatum eminebant, Cornuum similitudinem præ se ferebant, iisque ornamenta quædam addi vulgò solitum erat, argentea aureaque quandoque; exterior etiam Voluminis pars, quam convolutum adhuc oculis præbuit, *frons* vocata, unde ejusmodi extremitates Cornuum ad instar prominebant.

## §. VI.

Ex iis quæ hætenus observata, sat manifestum, qua ratione à S. Scriptore Aræ Mosaicæ structuram nobis exhibente, adhibeatur Vox קר, pro supremis scil. aræ partibus, quæ ceu extrema altissimaque membra capiti i. e. summitati Aræ insidebant, de quarum vera figura haud facile quicquam indubitati, tacente S. Scriptore, in medium proferri poterit; In tanto tamen Authorum qui hanc rem tetigere dissensu, ea quæ maxima veri specie commendantur, sectabimur. Quidam Antiquarii sibi aliisque persuadere conantur, cornuum in Ara figuram fuisse vel radios, vel coronidem, vel angulos ad extra protensos circa summum aræ ambitum prominentes, uti vult ARIAS MONTANVS; vel Pyramidulas tortas s. turbinatas, quibus



bus in portanda Ara ejus Velamina tantisper elevarentur, uti censet VILLALPANDVS. Duo Celeb. Viri FORTI SCACCHVS Myrothec. II. cap. 65. & SPENCERVS de Leg. Heb. Lib. III. cap. 4. existimant, vocem קרן de vera figura Cornuum s. Taurinorum s. Hircinorum s. Arietinorum esse accipiendam, hancque Cornuum figuram in angulis Altaris ea ratione fuisse dispositam, ut in extremis angulis in plano superiori exiens ad inferius ejusdem anguli plane retorqueretur, cujusmodi Aræ figuram Scacchus ex mente sua depictam Lectori ob oculos ponit pag. 635. operis sui elegantissimi. Uterque tamen significationi propriæ Vocis קרן nimis imò unicè insistit, eamque necessario pro Cornibus Animalium eorumque figuris sumi contendit, quod ex hætenus allatis sat clarè patet haud ita sese habere; Deinde quicquid etiam ex exemplis Ararum à Gentilibus consecratarum, quæ Cornibus vel instructæ vel integræ etiam ex iis erant constructæ, concludunt, nobis vix persuadebunt, Deum O. M. soli Israeli fœderatum, typum structuræ illius Aræ, in qua sibi soli solumque legitimo modo sacra solvebantur, à structura Ararum, in quibus Creaturis irrationalibus, hominibusve à vana vanorum superstitione deificatis imò Dæmonibus adolebatur,

Aaa 5

mu-

mutuò sumfisse; Neque è contra Gentilem Superfitionem eiusmodi Ararum figuram cornutam ab Ara Israelitarum figura defumfisse, magis verofimile videtur, quum ex iis, quæ jam dicta, & quæ mox, ubi de hifce in Gentilismo ufitaris Aris pauca quædam memorabo, dicenda erunt, fat manifestum erit, ea Cornua planè aliam habuiffe rationem, præterquam quod, fi Gentilismus hac in parte Veræ Religionis cultum imitari voluiffet, nullas Aras vel fanè perpaucas habuiffet, nifi Cornibus instructas, cum in Veri Dei cultu nulla planè Ara nifi hac sub figura fuerit confpicua, quum tamen in tot Gentilismi monumentis quibus adhuc gaudemus, vix quædam Cornuum in Aris fuperfint veltigia.

Authoritatem Joſephi teſtis oculati pro ſententia Cornuum Arietinum ſ. Taurinorum in Ara Templi extantium citat Spencerus, ſed plane invita Minerva. Ne verbum quidem ille de ejusmodi ſ. tortis Cornibus, & eadem opera ex ejus verbis Cornua Limacum, teſtudinum, vel Papilionum exſculpes, ac Cornua Arietis; ſic enim fatur de Bello Jud. Lib. V. cap. 5. edit. Haverc. non autem Lib. VI. cap. 5. uti citat Spencerus.

Τετραγωνος δ' ἰδρυτο, κερατοειδεις προανεχων  
γωνίας, καὶ ἀπὸ μεσημβρίας ἐπ' αὐτὸν ἀνοδος  
πρῶμα προσάντης ὑπτίας. κατεσκευάθη δ' ἀνευ  
σίδης



de cornubus aræ in tabernac. &c. 737

οἰδῆς, καὶ ἑδέσσοις ἐψάρευ αὐτῶς αἰδῆσος. i. e. Quadrata autem ara collocata erat, angulos habens instar Cornuum prominentes, & à meridie ascensus in eam leniter acclivis resupinabatur. Sine ferro autem constructa erat, neque unquam ferrum eam tetigerat. Quid quæso hic de genuina Cornuum figura? imò antea sat clarè ostensum, quid κέρως apud Græco idiomate utentes scriptores sapissime denotet, ultimaque Josephi allata verba manifestè docent, prominentia in ora altaris corpora plane nequivisse tortorum Cornuum exprimere figuram, cum ferrum nullum lapidibus, è quibus Templi Ara exterior erat constructa, fuerit applicatum, imò summum nefas fuerit juxta Exod. XX. v. 25. cælum iis inferre vel ferro tangere cælandi causa; hinc impossibile planè fuit, ejusmodi tortuosam ac artificiosam Cornuum speciem sine cælatura ferro facta producere; Quæ quum in Ara Templi manifestè ita sese habuerint, non video quare in Ara Tabernaculi, cujus typus à Deo ipso Mosi exhibitus fuerat, aliam nobis speciem Cornuum fingere velimus; Vasa enim Tabernaculi aliam figuram ac postea Vasa utriusque Templi habuisse, ne in minimis quidem hactenus fuit probatum, imò hæc ad speciem & instar illorum omninò fuisse fabricata indubitatum duco, si magnitudinem

nem, speciem ingentem ac pretium quorundam paucorum excipias, quæ cum ingenti Salomonis opulentia magis quam cum Israelitarum in desertis oberrantium tenuitate conveniebant.

## §. VII.

Sed quænam vera sit figura, sub qua Aræ Mosaicæ Cornua sint representanda nunc videndum erit. Eorum fuere quatuor pro totidem Aræ angulis, quam figuram habuisse quadratam nemo ignorat. Situs eorum pro situ ipsius Aræ talis, ut fuerit unum מזרחית דרומית *Euro - Australe*, alterum מזרחית צפונית *Euro - Boreale*, tertium מערבית צפונית *Zephyro - Boreale*, quartum מערבית דרומית *Noto - Zephyrinum*, uti recensentur in Misna Sebachim Cap. V. 3. eorum altitudo, longitudo ac latitudo erat cubitalis, uti extat in Middot Cap. III. I. מקום הקרנות אמה מזה ואמה מזה *Locus Cornuum ab omni parte unius cubiti &c.* Clar. L' EMPEREUR ad h. l. existimat, altitudinem Cornuum fuisse cubiti quinque palmarum, reliquas verò dimensiones cubiti sex palmarum; dubito tamen num sat accuratè, in verbis Misnæ certè hæc distinctio ignoratur, Maiemonidem sequitur quidem, qui disertè scribit in Beth Habbech. Cap. II. §. 7. *Erat cujusque Cornu altitu-*



*titudo palmarum quinque, quadrum verò cu-  
 jusque Cornu quaquaversus Cubitum patebat,  
 i. e. sex palmas, nescio tamen, an non  
 forsân idem Doctor Hebræus sibimet ipsi  
 contradicat, paulò enim antea perhibet,  
 quod dimensio Cornuum undequaque spa-  
 tium cubiti occuparit; Etiam R. Salomo  
 in Commentario ad h. l. Majemonidi  
 palam contradicit, cum tres Cornuum di-  
 mensiones æquales scil. quinque palma-  
 rum constituit; Ego, quanquam litem de  
 his movere non sit animus, convenien-  
 tius tamen ac longè speciosius existimo  
 fuisse, si eadem proportio in unaquaque  
 dimensione fuerit observata, non enim  
 video, quare plus longitudinis & latitudi-  
 nis quam verò altitudinis Cornibus hisce  
 tribuatur, quia ne sex palmarum altitudo  
 fuisset nimia pro cætera Altaris mensura,  
 ut cornua ejus concinnè essent conspicua.  
 Hinc cum Celeb. Viris, L'EMPEREVR,  
 CRAMERO, LVNDIO, MILLIO, cen-  
 seo hæc Cornua in utraque tam Taberna-  
 culi, quam Templi tum exteriore, tum in-  
 teriore Ara fuisse corpora quadrata, æqua-  
 lia, neque turbinata vel torta, sed sibi-  
 met per omnia ac ubique simillima; Ca-  
 va erant intus uti Majemonides loc. cit.  
 perhibet; tollebat sese in unoquoque altaris  
 angulo veluti Cornu quoddam structura cavæ  
 & quadratæ; & mox, jam hæc quatuor cor-  
 nua*

nua intus erant cava &c. Hæcque cavitas eodem modo quo inferiora Altaris lavibus lapidibusisque pice ac calce statuminatis aliique cæmentis erat impleta ad certam usque summitem: Hinc ea Cornuum figura evanescit, quam sibi quidam finxerunt, quadrangularem quidem, sed pyramidalem atque in acumen paulatim desinentem, quæ cum cubitali in omnes partes dimensione ac cavitate cæmentis repleta, quod utrumque Hebræi Doctores ita constanter tradunt, nonnisi valde incommodè consistere valet. Porro hæc Cornua in ipsa extremitate angulorum Altaris posita fuere, ita ut unumquodque, ceu ipse angulus, extremitatem duorum laterum simul occuparet, neque ullum spatium intra extremam oram & cornu interfuerit, sed una eademque linea opus continuatum usque ad summitem cuiuscunque cornu effecerit; bene enim observat Jom Tob *לפי שקר נקרא כן על שם שהיא עומד בזוית ולפיכך ראוי לומר שהיא עומד ממשי על הזוית* i. e. *Quoniam Cornua inde nomen adepta sunt, quod in ora sint, oportet statuere, ea in ejus extremitate fuisse constituta; Vix enim sat fuissent conspicua, neque eam speciem ac majestatem præbuisent Altari, si aliquo spatio ab extrema ora angulorum fuissent remota, ita enim quasi separatim effecissent corpus,*  
par-



parvaque Ara quadrata cuilibet angulo  
majoris Aræ imposita videri potuissent,  
non verò continuato eodemque opere  
effecta cornua angulis adjuncta, uti tamen  
esse debuerant, quippe quod admodum  
sollèter præcepit summus Altaris Archi-  
tectus Exod. XXVII. 2. & XXX. 2. מִמֶּנִּי  
הָיָה קַרְנוֹתָיו *ex ipso sunt Cornua ejus*,  
hoc dictum de utraque Ara, uti quoque  
de utraque narratum, Cornua ita planè  
se habuisse opere integro perfecto cum  
Tabernaculum erigeretur, Exod. XXXVII.  
25. & XXXVIII. 2. *ex ipso erant Cornua ejus*;  
Ex eodem opere ejusdem fabricæ ita  
cornua erant producta, aræ suffimenti ex  
ligno lectissimo Cedrino auro obducto,  
aræ holocaustorum ex eodem ligno aræ  
obducto; Altaris autem exterioris in utro-  
que Templo Cornua ex lapidibus arctis-  
sime sibi junctis, ita tamen structis, ut  
unum idemque opus viderentur, consti-  
tere, vel si mavis ex eodem lapide pro-  
ducta qui quemque constituebat angulum,  
quod tamen absque ferri ope peragi haud  
facile potuisset.

§. VIII.

Apud Gentiles quoque licet sat rara  
occurrit mentio Ararum, quæ Cornibus  
fuerunt instructæ. Delii Apollinis *ἱερὸς*  
*τοπος* dicti Ara, quæ integra, juxta Ano-  
ny.

munus de incredibilibus ab Allatio editum,  
ex dextris ferarum unico die casarum  
cornibus extracta, celeberrima fuit, de  
qua ita Cydippe apud Ovidium Heroid.  
epist. XXI. v. 99.

*Mirror & innumeris structam de cornibus  
aram,*

*Et de qua pariens arbore nixa Dea est.*  
Aliam ipse Apollo, i. e. quidam ex ejus  
Sacrificulis mira miserrimæ plebeculæ  
tradere cupiens, construxit, ex cornibus  
caprearum, quas Diana in venatione ja-  
culis telisque confixerat; Ita Callimachus  
Hym. in Apoll. v. 60.

Τετραετής, τὰ πρῶτα θεμελίια Φοῖβος ἔπηξε,  
Καλὴν ἐν Ὀρτυγίῃ, περιηγεὺς ἑνδοθι λίμνης  
Ἄρτεμις, ἀγρώσσουσα καρῆατα συνεχῆς  
αἰγῶν  
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὃ δ' ἔπλεκε βωμὸν  
ἀπόλλων,  
Δείματο μὲν κεραέσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν  
ἔκ κεραῶν, κεραῶς δὲ περίξ ὑπεβάλλετο  
τοίχῃς,  
ὃ δ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμελίια Φοῖβος  
ἐγείρειν.

*Prima quadrimus posuit fundamina  
Phoebus  
Inpulchra Ortygia, curvam intra Paludem  
Diana, venata capita assidue caprearum  
Cymbia-*



de cornibus aræ in tabernac. &c. 743

*Cynthiadum afferebat, ipse verò compinge-  
bat aram Apollo,*

*Construxit quidem cornibus fundamenta,  
compegitque Altare*

*Ex cornibus, cornua item circum parietes  
posuit,*

*Sic didicit prima fundamenta Phæbus jacere.*

Vide eundem Poetam Hym. in Del. v. 319.  
nec non Hyginum Fabul. 140. De hac  
ara & Martialis ita scribit Spectac. epigr. 1.

*Nec Trivie templo molles laudentur  
honores,*

*Disimuletque Deum Cornibus Ara fre-  
quens.*

Hanc Aram Plutarchus scribit olim inter  
Orbis miracula fuisse positam, Lib. de A-  
nim. solert. pag. 1810. edit. Paris. atque  
ex dextris solum victimarum Cornibus  
extructam; sed in vita Thesei pag. 19. e-  
dit. Lond. eam ait ex sinistris Cornibus  
conflatam, memoria lapsum uti, videtur,  
passus, ita enim satur, ἐν δὲ τῆς κατὰ τὴν ἀ-  
ποπλέων εἰς Δῆλον κατέχευε - ἐχόρευσε δὲ περὶ τὸν  
κερατῶνα θωμὸν ἐν κεράτων συνηρμοσμένον εὐανό-  
μων ἀπάντων. i. e. Solvens ex Creta Theseus  
Delum appulit - saltavit circum aram corneam,  
quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compa-  
cta; loco κερατῶνα Hen. STEPHANVS ma-  
vult legere κερατῶνα quod tamen non ne-  
T. III. P. IV. Bbb cessa-

cessarium observante DACERIO & Mose SOLANO. Aram hanc quoque memorat Diog. Laertius in vita Pythagoræ Lib. VIII. segm. 13. Ἀμέλει καὶ Βωμὸν προσκυνῆσαι μόνου ἐν Δήλῳ τῷ Ἀπόλλωνος τῷ γενέτορος, ὅς ἐστιν ὀπίσθεν τῷ κερατίνῳ, διὰ τὸ πυρὸς, καὶ κριθᾶς, καὶ τὰ πάντα μόνῃ τίθεσθαι ἐπ' αὐτῷ ἀνεῦ πυρὸς. i. e. Denique *jussit Pythagoras, aram Delii tantum Apollinis genitoris, que post Corneam est, adorare, quod frumentum, & hordeum, & placentas illi absque usu ignis imponere ex more soleant; de hac ara, posteriori scil. refert Cyrillus Lib. IX. adv. Julianum eam εὐσεβῶν Βωμὸν vidē venerantium aram fuisse vocatam, quoniam in illa nullum animal immolatum, eamque sua etiamnum ætate extitisse; ejusdem & meminit Clemens Alex. Lib. VII. Strom. narrans, ad eam solam accessisse Pythagoram, qui nunquam per totam vitam cruore animalium fuit inquinatus. Ejusmodi aram ē Cornibus structam etiam Ephesi fuisse perhibet Eusthatus in Homeri Iliad. VIII. ἀδεται γ' ἔν καὶ Παριανὸς βωμὸς ἐπὶ μεγέθει, καὶ ἐφίστιος δὲ κερατίνος; minimè enim hanc cum Delica confundit, quam omnes Veteres unicam in hoc genere perhibent, hanc enim non ignoravit uti patet ex iis quæ scribit ad Iliad. IV. vers. 109. duas ergò fuisse corneas Aras unam Deliacam, alteram Ephesiam ex his satis pa-*



patet. Cornutas s. cornibus instructas Aras non admodum parcè nobis offert profana Antiquitas, si benè attendemus. Ita Nonnus Dionysiac. Lib. XLIV. 96. memorat, Agaven quum ex Cadmi præscripto sacrificium immolare voluisset, in montem excelsum ascendisse, καὶ εὐνυσάτω παρὰ βασιῶν in pulchrè cornuta ara ovem obtulisse. Præcipuè huc spectant ansæ, quæ nonnunquam in angulis Ararum præsertim in Romanorum Sacris conspiciuntur, quo referenda figura Aræ Pacis in nummis Tiberii & Neronis à DV CHOVLIO nobis repræsentata de Relig. Vet. Rom. p. m. 14. nec non in Nummo Augusti Templum Pacis in cujus Vestibulo Ara constituta duobus instructa Cornibus cum inscriptione PACI PERP. quem numinum nobis exhibet Illust. SPANHEMIVS in doctiss. Commentario Gallico quo Juliani Cæsares illustravit, pag. 206. Alia ferè ejusmodi Ara exhibita à Cel. MONTEFALCONIO Antiq. Expl. Tom. II. pag. 131. quæ in extremitatibus capite Arietino ceu Ansâ instructa; Alia adhuc parvis ornata Cornibus conspicitur in nummo Crispinæ Aug. quam Diis genitalibus dedicavit ut fœcunditatem obtineret, apud Clar. VAILLANT part. II. Numism. Imper. pag. 200. Hæc Cornua s. ansæ ararum à sacrificantibus

tibus Divisque supplicantibus firmiter prehensæ tenebantur, teste Virgilio *Æneid.* IV. v. 219.

*Talibus orantem dictis Arasque tenentem  
Audiit Omnipotens.*

Inde Veteri Lingua Romana Aræ *anse* sunt dictæ notante Varrone Lib. V. Rerum Div. Aræ primum *anse* dictæ sunt, quod erat necessarium à Sacrificantibus eas teneri. Eadem notavit Servius, ad citatum Virgilii locum hæc commentans; *Veteres ase dicebant; postea immutata litera s in r aras dixerunt, sicut Valesios Valerios; Fusios Furios, quod Varro Libro 5. rerum Div. plenius narrat, cujus verba mox allata recitat Macrobius Saturnal. Lib. III. cap. 2.* Ita etiam hanc vocem legimus scriptam in antiquissima Numæ Pompilii Lege, quam nobis servavit A. Gellius Lib. IV. cap. 3. PELEX. ASAM. JVNONIS. NE TAGITO. SI. TAGET. JVNONI. CRINIBOVS. DEMISSIS. ARNVM. FOEMINAM. CALDITO. Summè necessarium Sacrorum Anstirites atque Rectores existimabant, Aras à Sacrificantibus teneri, quod si non factum sacrificatio Diis grata non esset, uti observat Servius l. c. quare statim adjungit, quo plenius intelligi voluit, gratum hoc esse numinibus, subjungendo, *arasque tenentem audit omnipotens.* Jurantium impi-



de cornubus aræ in tabernac, &c. 747

primis erat ritus aræ ansas tenere, ita Latinus fœdera feriens apud Virgilium Æneid. XII. v. 200.

*Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit,*

*Tango aras, medios ignis, & Numina testor.*

Sic Juvenalis Atheos acerbo fricat sale, qui nulla juramenti religione moti, absque hæsitazione perjurant, Sat. XIII. v. 86.

*Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt.*

Nec non Comicus Rudent. Act. V. Scen. 2.

- - - *tange aram hanc Veneris.*

*LA. tango:*

GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi. - - -*

GR. *Tene aram hanc. LA. teneo.*

M. Tullius Orat. pro L. Flacco cap. 36.

Ergo is, qui si Aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit &c. exempla hominis plane decoctæ atque deperditæ fidei exhibet. Justinus lib. XXIV. cap. 2. hunc ritum quoque commemorat, Ptolemæus sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra & pulvinaria Deorum, mauditis ultimisque execrationibus adjurat. Plura non addo, quæ autem de mysterio Altaris Cornuum dicenda supersunt, posterior hujus Diss. pars B. Lectorem edocebit.

Bbb 3

IX.

## §. IX.

Inquisitu igitur operæ pretium erit, quam rationem Aræ Mosaicæ extremitates s. Cornua habuerint, qualisque eorum fuerit usus; Sine ulla enim ratione certa vel scopo singulari, Aram, ex præscripto Divino factam, ejusmodi Cornibus fuisse instructam, nemo forte, qui affirmare auserit. Longè aliud enim suadet expressum adeò & sollicitum Dei O. M. mandatum, quo cornuum fabricam inculcavit Exod. XXVII. 2. nec non expressa mentio cornuum in quatuor aræ angulis elatorum, ubi recensio facta Tabernaculi Vasorum S. ab Artifice divinitus edocto jam perfectorum, juxta Typum à Jehova Moli exhibitum, Exod. XXXVIII. 1. quod idem observandum de Ara Suffitus Cap. XXX. 2. collato cum Cap. XXXVII. 25. quod ita expressè summaque cum cura præceptum arduam omninò habuisse rationem, nemo cui sanum sinciput, dubitabit. Synagogæ Doctores adeò omnem Aram Cornibus destitutam ad Veri Numinis cultum planè illegitimam, sacraque in tali oblata nequitiam grati odoris fuisse perhibent in Gemara Sebachim fol. 62. quam conjecturam uti non temerè ad probationis calculo firmare, ita nec planè ceu omni fundamento destitutam repudiare sustineo, sal-



saltem quantum sacrificia pro peccato offerenda attinet, quorum sanguis Deo gratus acceptusque non fuit, nisi Cornibus Aræ illinitus. Circa Aras à piis quibusdam Dei servis extrà ordinem vel tumultuarie exstructas longè alia est quæstio, earumque aliter sese habet ratio; Ante Legem Mosaicam enim latam, cum modus construendi Aras divinitus nondum fuerit præscriptus, quantum quidem è S. Literis constat, nil impedit, quo minus credamus, eum modum arbitrio piorum Patriarcharum fuisse relictum, adeoque Cornua de essentia Aræ, ad Veri Numinis cultum destinata, haud fuisse, præsertim cum nullibi legatur, primæ Oeconomix fideles piaculares hostias obtulisse, sed pacificas, eucharisticas atque imprimis Holocausta, vide inter alia exemplum Jobi, Job. I. 5. Post legem autem Sinaiticam non negarim, nonnullas Aras extrà locum Deo electum exstructas etiam sua habuisse Cornua, cum quædam illarum in usum quidem abominandum erectæ, sed nihilominus ad maximam similitudinem sacræ Aræ fuere fabrefactæ, eò ut Populus pelliceretur ad cultum Jehovæ deferendum, uti in Aris Jeroboami factum I. Reg. XII. quod clarè evincit locus Amos. III. 14. *Quo die animadvertam defectiones Israelis in ipsum, me animadversurum quoque in altaria Bethelis,*

*adeo ut. excindantur Cornua altaris & cadant in terram; & forsan in Ara Rubenitarum Jos. XXII. quanquam illa minime inter idolatriæ dicatas referenda; Ita Aræ Baalis cultui dedicatæ, Aræ excelsorum &c. ad imitationem veri Cultus Divini fabricatæ, figuram sacrae Aræ quam maxime poterant expresfisse videntur; Aras verò à Dei Servis sub Oeconomia Legali extructas, uti Gedeonis, Manohæ, Samuelis, Eliæ &c. Cornua non habuisse, magis verosimile est, quam non legimus in iis expiatorias Victimæ casas, sed Holocausta &c. pios viros obtulisse, illæque Aræ non stabiles fuerint, sed tumultariæ, ad unam alteramve occasionem raptim erectæ & cespites, lapidibus passim obviis &c. si quadam tamen extra ordinem Aræ Dei expressio factæ mandato, eas Sacram repræsentasse mallem credere.*

## §. X.

In varias docti S. Literarum Interpretes quoad usum Cornuum Altaris abeunt conjecturas, licet plerosque, quod sanè mirandum, extremis tantum digitis illum attingisse videamus; pauca tamen quæ nobis suppeditant modesto examini subicere, quam paucis fieri poterit verbis, haud abs re erit. VILLALPANDVS in luculentis ad Ezechielem Commentariis Tom. II.

pag.



pag. 393. sententiam ejusmodi fovet. Altare S. Cornua gestasse ceu tropæa factæ prædæ ac monumenta tot Victoriarum de innumeris animalibus in foco suo consumptorum & quasi subactorum, in *Festis enim solemnioribus*, inquit, *Tauri & juvenci Deo mactari consueverant, & Altari quasi Arieli f. Leoni sacro projici devorandi &c.* quæ commentatio judicio Spenceri magis Authoris ingenium quam judicium sapit, cui calculum meum addere minimè dubito, multa enim incommoda imò manifestè falsa secum fert Villalpandi expositio; num enim solo in Altari holocaustorum Cornua fuere conspicua? num vero etiam in Ara suffitus? solum tamen illud innumeras consumpsisse dici potest hostias; solum *Ariel f. Hareel* nominari potuit, ideoque solum conspici debuit indutum victorum ac debellatorum Spoliis, unicuique tot cædium tot Victoriarum cruenta gestare debuit Tropæa, quæ interiori Aræ nullo modo conveniunt, quæ nunquam eadē Victimarum cruentata, nunquam impositam conspexit hostiam, in rarissimis tantum casibus Cornua habuit sanguine tincta, uti suo loco videbimus; nihilominus tamen eadem gesit insignia cum exteriori Ara, uti cuilibet notissimum, quæ si cladis & cædis fuissent tropæa, nusquam, nisi in loco ubi peractæ, conspici

debuissent; Neque concipio quale monstrum Leonis cornuti ac cujusdam quasi Hammonis nullis in terris conspecti neque conspiciendi nobis depingat Villalpandus; Loco Jes. XXIX. 1. ad quem fine dubio respicit, per *אריאל* *Leonem Dei* s. *fortem*, non intelligitur Altare, uti Chaldaus Interpres somniat, sed ipsum Templum, & quod sequitur *קרית* per appositionem explicandum, *væ templo* & *væ Civitati*, *væ monti Zion* *הר אל*, qui maxime celebris in civitate ac sanctissimus ejusdem fuit locus; confer comma 8. quod nullam dubitationem post se relinquit. Etiam Ezech. XLIII. 15. basis Arae holocaustorum vocatur *האר אל* quod non sonat *Leonem Dei* sed *montem Dei*, qui locus altus fuit quatuor cubitos, itaque dictus, quoniam ipsa Ara Deo sacra illi superstructa, cum alias Arae idololatrarum in montibus erigerentur. Sit tamen, Aram immanis Leonis ad instar Victimæ sibi objectas devorasse, ossa commoluisse, cuncta in cineres rede- gisse, ideoque à Spiritu S. nomine Ariel insignitam ob insatiabilem rapacitatem: ubi unquam exauditum, Leones spolia devorata prædæ quasi in Triumpho portasse, sive Tropæis boum, hircorum &c. ornatos superbiisse? Num Altare solum sine ulla ope aliena, absque igne, ligno, ministris, instrumentis sacrificio-

rum



rum &c hostias cecidit? num verò locum spatiumque tantum concessit, ad hostes jam devictos casosque planè consumendos? nilque nisi tristes eorum exuvias exanimæque cadavera recepit, adeoque ad palmam reportatam exiguum quid contulit? Sed operæ pretium vix erit ejusmodi commentum longius ac seriò refellere, sua sponte enim concidit, si Cornua Aræ non veram Arietinum vel Taurinum habuere figuram, sed corpora fuere quadrata &c. uti §. VII. sat prolixè ostensum, hæc nec ipse Villalpandus, si ipsi in mentem venissent, pro Tropæis sumfisset.

## §. XI.

Nec majori Veritatis specie sese commendat illa sententia, quæ rationem Cornuum in Ara eam fuisse existimat, ut illa usum præberent anfarum, quas manu prehendere possent rei ad Aram tanquam Asylum confugientes, ut sese subtraherent imminenti exitio. Licet enim ex exemplis quibusdam infra elucidandis constet, Cornua ejusmodi Refugium revera præbuisse ac apprehensa a reis fuisse, dici tamen vix poterit, hunc fuisse scopum in iis erigendis præcipuum, sed tantummodo unam ex sapientissimis, quas Deus O. M. sibi proposuerat, rationibus, quæ sola in se con-

considerari ac à cæteris ceu unica & sufficiens sejungi nec potest nec debet, cum ad Asylum præbendum ejusmodi Ansa non absolute fuerint necessariæ, non magis ac aurum quo erant obductæ, fugiens quippe ad Aram ejus Angulos, etsi Ansis carentes, amplecti manuque quodammodò arripere, vel integrum corpus ad basin provolvere potuisset. Præter hæc Altaris aurei aditus nec omnibus promiscue uti aræ exterioris in hoc casu patuit, neque locum Asyli præbuit, sed solis sacerdotibus cultus quotidiani tempore adendum fuit, adeoque nullum ad id erat refugium nisi summo discrimine certissimæ cladis, & tamen hoc Altare cornibus æque exornatum fuisse, ac si omnibus ad aditum expositum, certissimum est, cornua ideò incassum gessisset, si nullum alium scopum quam hunc habuissent.

Nec felicius divinant existimantes, Anfas f. Cornua Aræ fuisse addita, ut velamina, quæ illi superimposita cum castra moverent Israelitæ, elevarentur à foco aræ, dum portaretur; Nemo dubitabit quin vela, quibus Ara obtecta ansis parumper sustentata fuerint, ansæque sub iis protuberarint; In hoc verò rationem præcipuam consistere nemo facile concedet, cum è jam allegatis Josephi & Talmudicorum testimoniis liqueat non tantum Aras Tabernaculi,



culi, quæ mobiles variisque migrationibus obnoxia, sed quam maxime Aras in utroque Templo, quæ immota fixæque adeoque nunquam velis obvoluta fuerunt, ansas s. Cornua habuisse.

Nec probabilior eorum opinio, qui statuunt, Cornua hæc eo inservisse, ut Sacerdos hostiam forsan reluctantem ictumque devitare nitentem iis alligaret; Nusquam enim in Divinis sacrificiorum constitutionibus, quæ vel ad minimas usque circumstantias enarrantur, vola vel vestigium extat de adligandis ad Cornua victimis, quæ insuper nimis debilia fuissent, imprimis illa in Altari a neo Tabernaculi, ad impetum reluctantis Tauri inhibendum vel frangendum; neque unquam victimæ in altari aureo oblata, multoque minus ansis ejus adligata fuerunt.

§. XII.

Eruditissimus JOH. SPENCERVS Lib. III. cap. 4. Diss. I. longè ab iis, quæ hactenus recensita, diversam rationem commentus est, cur Deus O. M. aræ sibi dicata Cornua imponi voluerit, eo quod, inquit, *Cornua diu ante Moysi ætatem, tanquam religionis, roboris, majestatisque indices altaribus addita fuerint*, itaque Deum in hocce instituto etiam tempore antiquorum opinioni ac consuetudini aliquid dedisse

disse videri. Fateor Spencerum in refutandis aliorum sententiis de hac quaestione mihi multo accuratiorem ac solidiorem videri, quam in adstruenda propria hac sua opinione; eam uti omnia, quæ in eruditissimo opere magnis congesta acervis reperiuntur, ad præconceptam suam opinionem, quæ satis nota, reducere, summo nisu conatur, sed frustra nisi turpiter fallor.

Prima eruditiss. Viri ratio, quod *Cornu*, potentiae, dignitatis, roboris, symbolum seculis antiquis habitum fuerit, optimum sese habet, eamque ipse met ego supra ex Vetusstatis monumentis breviter elucidatam dedi; Largior etiam, seculis vel Mosen antecedentibus, quod licet evidenter probatum nondum sit, ex Job. XVI. 15. & Deut. XXXIII. 17. non admodum obscure colligitur, nullo autem modo cum Spencero ex monumentis profanae Antiquitatis quæ omnia Mose longè juniora; largior inquam iis seculis, *Cornu* ea omnia, ceu emblemata haud longè quaesitum ac unicuique sponte ac naturaliter sese offerens, notasse, num inde sequitur vel Clar. Vir ostendere potuisset, statim Cornua ceu roboris ac majestatis symbola à Numinis s. veri s. falsi cultoribus Aris imposita, ac sub iis Numinum potentiam ceu in typo fuisse adoratam? Quod autem Cl. Vir addit, Cornua Religi-



gionis notam fuisse ac sanctitatis, haud sibi constat; quod enim Numinibus dicata & de sacris Arboribus fuerint suspensa, probè scio, sed hoc non idèò factum, quod aliquid iis inesse crediderint sanctitatis, sed sacra illa fecerunt Gentiles ceu Spolia, tropæa ac totidem monumenta cæsarum ab se victimarum vel etiam beluarum, ad gratum erga Deos testandum animum, quos hoc more iis honorabant partibus, in quibus præcipuum bestię dum viveret robur constiterat. Hammonem, Bacchum, Isidem &c. Cornua gestasse, non ob Sanctitatem iis affictam, sed ob potentiam &c. vel alias ob causas magis occultas, mythologici nos docent Scriptores, vide inter veteres Phurnutum de Nat. Deorum cap. 9. & 30. & Hyginum cap. 133. ac 145. inter recentiores Summum Virum Ez. SPANHEMIVM de Præst. Num. Dissert. VII. pag. 390. seq. edit. Londin. qui instar omnium esse poterit. Monarchas uti Alexandrum, Neronem, &c. Cornutos in Nummis representari adfectasse certissimum est, non verò Sanctitatem vel Religionem hacce Corona sectasse aut posteritati innuere voluisse, sed magis eminentiam stirpem cœlestem Originemque Divinam ab Hammonē &c. mortalibus persuadere totis viribus fuisse conatos, nec minus certum est. Melius ergò Spencerus meo quidem arbitrio di-

dixisset, Cornua Divinitatis, summique honoris in Theologia Gentili fuisse notas, quam Religionis aut sanctitatis.

## §. XIII.

Secundum quod adducit Vir. Clar. argumentum, ex eo quod Deus O. M. Moysi simpliciter dixerit, *Et facito Cornua ejus super angulos ejus*, sine ulla descriptione nec figuræ nec dimensionis Cornuum, ideoque præsupponere, rationem ac modum erigendi in Aris Cornua ex more Gentilium fuisse notissimum, ut ampliori descriptione non indigerit, &c. non magis procedit ac primum; Non enim nego figuram ac magnitudinem horum Cornuum Moysi fuisse benè notam, sed nullo modo ex aris Aegyptiorum, sed ex Typo, quem in monte viderat ab ipsa Dei manu hand dubiè sibi ob oculos representatum, unde prolixiori delineatione verbis expressa opus non fuit, uti sine exceptione nos docet locus Exod. XXVII. 8. Quid enim? num summa sapientia in extruendo atque adornando sibi terrestri sanctuario operam lusisse adeò infra humanam sat vulgarem sapientiam Spencero videtur, ut primò omnes partes imò totam figuram Vasorum Sacrorum à Gentium cærimoniis tum temporis notissimis mutuo sumserit, secundò tamen nihilominus artifices peritissimos peculiari



ari scientia divinitus ad hæc opera ritè  
 perficienda illuminaverit, ac ipsum Mosen  
 summa cura per sat longum temporis spa-  
 tium viva instruxerit voce, imò ut eò me-  
 lius omnia perciperet, ectypum clarissi-  
 mum ipsi vividissima sub imagine ob ocu-  
 los pinxerit usque ad minimas partes ac  
 minutias omnis adparatus sacri; Num cre-  
 dibile est, Mosen omnia cætera S. Mini-  
 sterii vasa prolixè atque admodum solli-  
 citè descripsisse, de solis Cornibus ita  
 succinctè ac obiter mentionem facere,  
 quia fuerint res notissima è ritibus Gen-  
 tium? Non planè sic sese habet. Cornua  
 enim non per se vas aliquod Sacrum ab al-  
 liis erant distinctum, quod proinde eorum  
 fabrica adeò sollicitè enarrari meruerit,  
 sed fuere pars Altaris ex reliquo corpore  
 ejus protuberans, eodemque opere con-  
 tinuato producta, ideoque unum idem-  
 que corpus cum illo constituere. Deinde  
 quam succincta quæso est totius Aræ exte-  
 rioris descriptio Exod. XXVII. 1-9. quæ  
 multa subintellecta atque ex typo in mon-  
 te exhibito supplenda post se reliquerat;  
 Quam brevis Lychnuchi ac mensæ aureæ  
 delineatio Exod. XXV. cum tanto adparatu  
 Vasorum variæ figuræ atque usus ad ea per-  
 tinente, quæ tot ac tanta industriæ Inter-  
 pretum ac Antiquariorum S. indaganda  
 adhuc relinquunt, ut eorum vera quoad  
 T. III. P. IV. Ccc omnes

omnes partes figura nunquam indubitatè demonstrari possit, nec unquam demonstrata fuerit. Nunc arrige aures B. Lector ad ea, quæ Vir D. addit in sequentibus, scil. Cornua ante Mosis ætatem summo in honore imò religiosi cultus notas fuisse exinde patere, quod Moses cornuta facie de monte descendisset, ut dignatione majori à populo acciperetur. Quæ adeò monstrosa sunt, ut nesciam an cachinno num indignatione digniora, nunquam saltem credidissem, Spencerum hisce somniis, B. Hieronymio primum visis, deinde à plebecula ministerio pictorum receptis, quæ Mosen Hammonem quendam cornigerum nobis sistunt, fidem tribuere potuisse, nisi ex diligenti lectione eruditi sui operis simul perspectum mihi foret, Clar. Virum sapissimè sine discrimine quæcunque stupenda eruditio sibi suggererat, invitè ac obtorto collo ad hypothesin suam fulciendam rapere, ut non rarò parum constet, num seriò rem aget, num joco; Quæ autem adlegat exempla Capitum Cornibus ornatorum in nummis Vet. suprà jam à nobis fuere explosa.

Tandem, tres Gentilium errores circa Cornua admissos, Deum O. M. notasse, iisque Cornua in Altari sibi sacro opposuisse, contendit Vir D. *Primò*, Mosen jusuisse quatuor tantum Cornua in Altari erigere  
pro



pro ingenti numero Cornuum, quibus Gentium Aræ fuere decoratæ; sed Aram ejusmodi tantum unicam vel ut plurimum binas, Deliacam scil. & Ephesiam fuisse, nos supra §. VII. ex Veterum scriptis adnotavimus, quæ idcirco ceu insolitum ac monstri quid à Poetis decantatæ ac Plutarcho miraculis mundi annumeratæ, Deum Israelis minime sollicitum habuere, ut atro carbone notarentur, quum etiam, quantum judicare possumus, instauratione cultus Levitici multum fuerint recentiores. *Secundo*, Aræ Mosaicæ Cornua ex eadem materia conflata Deum voluisse, ad distinguendam illam ab aris Deastrorum, quæ Cornua Victimarum habuere adpensa, vel ex iisdem integræ fuere exstructæ; quod quidem non negamus; attamen nos in præcedentibus ex Vet. monumentis Aras Gentilium vidimus, quæ ex eadem materia productas habuere ansas. *Tertio*, Deum in solis Aræ suæ angulis collocari voluisse Cornua, ut distincta sit ab Aris idololatriæ dicatis, quæ Cornua habuerint in lateribus ac recessibus interioribus posita, ad quod firmandum iterum ad Aram Deliacam tanquam ad sacram confugit anchoram, quæ scil. Deum commoverit, ut Altare suum tanto terrarum, marium, forsan & seculorum intervallo ab Delia ara semotum, huic tamen summa cura indu-

Ccc 2

stria-

strisque opposuerit, ac Israelitas, qui nunquam illam viderant nec visuri erant, hac lege abominandam Religionem Deliaci Apollinis in cornea ara culti edoceret. Quis quæso sanæ mentis hæc alique similia Spenceri concoquere potest? Totam denique Viri D. hypothesin funditus eversam sine ulla restitutionis vel levisissima spe, nemo dubitabit, si verum, quod supra nobis observatum, cornua scil. Altaris figuram non sumxisse à bestiarum cornibus, sed alius figuræ fuisse ansas, totum quippe Spenceri ratiocinium unico hoc stat pede, Cornua Aræ veram habuisse Cornuum bestiarum figuram, quod non semel repetit.

## §. XIV.

Parum ergò his omnibus conjecturis & Spenceri & aliorum Doctorum mihi sese adprobantibus, quum longius à veritatis tramite aberrent, quid mihi tandem videatur hac in re, paucis restat demonstrandum. Usus Altaris Cornuum inventio triplicem, scil. *Ornamenti*, *Expiationis*, & *Azyli*, è quibus postremus in aram anteriorem s. thymiamatis non cadit, priores verò illi cum exteriori ara fuere communes.

Primum itaque scopum, cur Deus O. M. in Ara ad cultum suum parata ejusmodi extre-



extremitates elevatas Cornuum ad instar exhiberi jussit, fuisse censeo, ut illæ Aram ornatam spectabilemque redderent. Observante enim SANCTIO apud Clar. CRAMERVUM, Cornua è quatuor Altaris angulis sursum extabant ceu totidem columellæ, quæ ad speciem ornatumque aliquid addebant haud vulgare, aptissima sanè erant ad nescio quid dignitatis, celsitudinis ac reverentiæ propius ad aram accedentibus incuriendum eorumque pectora pio sanctoque tremore perfundenda. Quod vero Clariss. CRAMERVS addit, Cornua non tantum speciem sed etiam munimentum Aræ angulis præbuisse, ne fortè laxderentur, æquo judici non aridebit, omnibus ritè expensis, quod tamen pace Doct. Viri dictum volo; præterquam enim, quod sat manifestum videatur, Angulos nudos non æque fragiles injuriæque fuisse obnoxios, ob soliditatem operis laminis æneis ac aureis obducti, ac cornua ipsamet fuissent fragilia ceu corpora supra reliquam Aram sat prominentia, ideoque magis debilia variisque casibus exposita, præsertim in Aris tabernaculi, quæ ambulatoria quam maxime erant. Præterea hoc munimentum Aræ angulis per Cornua præbitum cadere nequit, nisi in Altare æneum Bezaleelis, quod portatile viatorum Israelitarum per



immensa Arabiae deserta assiduus comes, spatio 40. Annorum nulla certa gaudens sede, atque etiam post subactam terram Promissionis non raris migrationibus expositum, atque ob id ipsum commoda nec nimia mole fabrefactum fuerat, quod tamen ob frequentes sedis mutationes pro angulis suis ejusmodi munimentis indiguisse quodammodo ex mente Viri Clar. videri posset. Hoc verò nullo modo convenit Arae exteriori nec primi nec secundi Templi, de qua tamen Vir. Cel. doctissimum suum opus inscripserat, quæ uti cuilibet notum, neutiquam portatilis, sed fixa immotaque sedis, ac immanis ponderis moles lapidibus solidissimis extructa, adeoque ejusdem anguli contusioni non expositi erant, ut inde ratio nulla esse potuerit, illis de munimentis tam sollicitè prospiciendi, iisque quasi vallum, turres & propugnacula imponendi, quorum hoc sensu nullus erat usus nullaque necessitas.

## §. XV.

Secundum Cornuum in utroque Altari usum hunc fuisse existimo, ut illis Victimæ Piacularis cruor illineretur. Ipse Deus O.M. in recitandis prolixè Legibus Sacrificiorum hunc iis assignat usum, expresse Sacrorum ministris hanc adspersionem



nem mandando. Exterioris Aræ Cornua adspergi debuere sanguine piacularis hostiæ pro peccato Principis oblata Levit. IV. 22-26. nec non sanguine ejusmodi Victimæ pro peccato hominis privati adductæ, ibid. v. 27-35. Iisdem quoque inspersus sanguis juveni piacularis jugulati eo die, quo ipsum Altare cum omnibus Vasis integroque apparatu sacro initiatum, vasa & utensilia inungebantur oleo S. Altare autem oleo & sanguine Lev. VIII. 11-15. Sanguis vituli piacularis, quo Aron ministerio suo inauguratus itidem Cornibus debuit adspergi, Lev. IX. 9. nec non sanguis mixtus juveni & hirei, qui sollemni die magnæ expiationis in piaculum familiæ Aroniticæ totiusque populi casti, Lev. XVI. 18. confer Joma Cap. 5. Sebachim Cap. 5. in ejusdem Aræ Cornua sparsus cruor juveni expiatorii pro peccato Summi Pontificis Lev. IV. 7. ac Juvenci piacularis pro culpa integri Populi jugulati ibid. v. 18. Ita apud Ezechielem cap. XLIII. 20. Altare mysticum in mystico Templo extructum initiandum à Deo mandatur, sanguine juveni imposito quatuor Aræ cornibus & quatuor angulis ambitus & crepidini. Omnium igitur Hostiarum piacularium pro peccato casarum sanguis Altaris Cornibus debuit adspergi, hac distinctione observata, ut earum, quæ esui im-

Ccc 4

mo-



molantis concessa, sanguis sparsus sit in Cornua Aræ exterioris, residuum verò ad fundamenti latus meridionale effusum à Sacerdote è cingulo Aræ redeunte; Sanguis verò piacularium Victimarum, quæ extra Castra s. urbem comburenda à Sacerdote spargendus erat versus Velum ac super Cornua Aræ Aureæ, juxta dictum Pauli Heb. XIII. 11. residuum verò Altaris holocaustorum fundamentum occidentale hausit. Judæi observant Gem. Sebachim fol. 53. piaculum ex quadrupedibus Aræ Cornibus deberi, ejusque sanguinem non posse spargi nisi in ipsum corpus Cornuum, quæ propterea concava varieque fuisse perforata, ut sanguinem haurire penitusque absorbere valerent, uti Clar. CRAMERVS loc. cit. cap. V. §. 5. observat ex Sebachim fol. 54. ubi R. Cahana ait; *Lapides Cornuum excavati erant, eo quod dictum est Zach. IX. 15. & implebuntur uti pelvis & uti anguli altaris; neque obstat, quod & hic Deus lapidibus integris uti jussit; nam baculos tenues cornibus dum struuntur, interponunt, illosque postea auferunt;* Antiqua sine dubio hæc traditio, nescio tamen, num sat accurata, cornua quidem fuisse cava certum duco, hujusmodi tamen baculis in struendis Aræ Cornibus opus fuisse haud video, cum Cornua non aliunde assuta, seu calce ac cemento angulis



de cornubus aræ in tabernac. &c. 767

gulis fuere agglutinata, sed ex ipso lapide, qui quemque constituebat angulum, exsurgere parsque ipsius esse debuere, ideoque malim credere, eanon nisi unam cavitatem in medio perpendicularem usque ad certam profunditatem habuisse, uti §. VII. ostensum; neque hi baculi in constructione Cornuum aureæ Aræ adhiberi poterant, cujus Cornua facilius adhuc continuato opere ex angulis lateribusque ligneis exsurgere atque excavari vel à summo ad imum potuere, neque perforari ea necessum erat, ut sanguis piacularis transmanaret, cum ille sat parvè minimaque quantitate extremo tantum sacerdotis digito cavitati inditus lateribus ac summitati Cornuum fuerit illinitus, adeò ut nimia sua copia Cornua obruere haud potuerit. Quicquid sit, certum tamen, Cornua in utraque Ara fuisse adaptata ad recipiendum huncce sanguinem, eaque ideo Altari summe fuisse necessaria ob egregium hunc usum, quem sacrificiis expiatoriis præbuere, hinc inter necessarias Altaris partes, quibus carere minimè queat, recensentur à Judæorum Magistris Succa fol. 49. Sebach. fol. 62. *Cornua, clivus, fundamentum & forma quadrata adeò Aræ sunt necessaria, ut sine illis nequeat esse legitima &c.* Quisnam fuerit modus spargendi sanguinem super hæc Cornua nos docent Judæi

Ccc 5



dai in Joma cap. V. §. 5. ejusque loci Commentatores. Scil. Sacerdos digitos sanguine intinctos supernè elevabat ad verticem usque cornu Euroborealis, ibi enim incipiebat, sanguinem ei imposuit incipiendo à summo ejus vertice ac descendendo ad infimam ejusdem partem, idque ne sanguis deorsum per brachia manans tunicæ manicas fœdaret, quod alias factum, si ab imo incepisset ascendendo ad verticem usque; inde eodem modo irrorabat cornu Boreale ad Zephyrum vergens, inde asperso cornu Notozephyrino ad Euro-Australe aspersioni finem imponebat. Hicce ordo observatus ad Aram auream in sollenni adspersione die expiationis, in piacularibus vero ordinis communis nec non hirci in novilunio oblatus de quo Num. XXVIII. 15. ac sollennium festorum victimarum sanguine, cornibus Aræ exterioris non minus adspargendo, uti hi volunt, ordo erat inversus, ascendens enim Sacerdos per clivum Altaris ad dextram sese vertebat, quod inprimis in Ministerio S. observandum erat, judice Obad. de Bartenora ad h. l. ideoque veniebat ad Cornu Euro australe, coque adperso accedebat ad Euroboreale, inde ad Boreale Zephyrinum ac tandem ad Notozephyrinum, uti perhibent Thalmudici in Sebachim Cap. V. §. 3.

§. XVI.



## §. XVI.

Tandem Altaris Cornua refugium ac ἀσύλον præbuere ad ea refugientibus ea-  
que tenentibus; quod de Ara exteriori  
tantum accipiendum esse, nemo non videt,  
quum aditus ad Altare aureum cuilibet,  
etiam sacerdotibus extra tempus eorum  
ministerii s. sacri s. alio modo necessarij,  
fuerit interdictus, sub præsentis exitij pœ-  
na. Aram ipsam tale refugium præstitisse,  
licet expressis verbis Lex Divina illud de  
Ara haud constituat eo modo quo de אֲשִׁי  
וּמִקְדָּשׁ, rectè tamen colligitur, hoc refu-  
gium ceu vetustissimam consuetudinem  
apud Israelitas fuisse receptam ac tacita  
concessione à summo Legislatore tolera-  
tam, ex verbis Exod. XXI. 14. *cum quis  
arrogaverit contra proximum suum occidendo  
eum aflu, etiam ab Altari meo rapito illum ad  
mortem.* Homicidæ ergo aliique culpæ ali-  
cujus sibi conscii ad aram confugere pote-  
rant, & ab ea qui innoxii vel inviti tales  
existere liberi ac immunes constituti erant,  
noxii autem frustra ibi salutem quare-  
bant, cum vel inde ad supplicium rapien-  
di; unde patet, eum, qui ex errore vel ca-  
su fortuito alium interemerit, ad aram oc-  
cidi non potuisse, sed si à vindice sangui-  
nis ibidem casus, vindicem ipsum capite  
id luisse, planè ac si in urbe refugii id ac-  
cidis-

cidisset, uti observat Majemonides Hilcot Rozeach Cap. V. Qui autem legitimè ad Aram receptus, ad eam non diu consistere poterat, sed coactus confestim in aliquam urbem refugii discedere, custodibus publicis eò conductus, ut à vindice sanguinis intactus evaderet, observante eodem Majemonide. Quibusnam reis Altare præbuerit refugium, Magistri Heb. definiunt, quod sint *מחריבי גלות* *rei exilii* i. e. in quorum gratiam refugii oppida erant instituta, quorum genera describunt in Massech. Maccoth cap. II. toto, nescio tamen num sat accurate, cum hancce prærogativam ad solos restringunt sacerdotes, quod sane minus rectè colligunt ex Targum Uzielidis ac Hierosolymitano, qui planè contrarium adstruunt, prior enim ad locum Exod. XXI. 14. ita *אפרו כהנא הוא* *licet sit sacerdos vel ministrans super Altari meo*; Alter hunc in modum commentatur, *אפרו הוא כהנא רבנא* *licet sit sacerdos maximus*, imò nec aliter liberasse ipsos sacerdotes perhibent, nisi eo ipso tempore, quo sacris operam dabant. Id quidem verum, sacerdotibus præcipuè Altare præbuisse Asylum, cum ipsi proximi omnium Israelitarum circa illud versati, ipsisque quotidie illud adeundi potestas fuerit in ordine ac vice Ministerii sui, ideo tamen nemini alii id paruisse



tuiffe refugium contra Legem Divinam pugnat, cum citata verba generalia ſint, quæ ad ſolos ſacerdotes ſtriçtè referri nequeunt, nec non Joabi atque Adoniæ exempla, de quibus mox, longè aliud clarè monſtrant; nec minus falſum, quod Majemonides loc. cit. hocce privilegium ſoli Aræ Templi vindicat, uti & Gemarici in Maccoth fol. 12. etſi enim Joabum meritò periſſe affirmant, cum neque fuerit Sacerdos & tantum ad Aram Tabernaculi Templo nondum exiſtente confugerit, quid de Adonia fiet? qui eandem ad Aram ſalutem quærens, ſervatus; neque Legis Exod. XXI. verba de Ara Templi, ſed de quacunque Deo ſacra ac inprimis de Tabernaculi ara fuiſſe pronuntiata, nemo non videt.

§. XVII.

Sed dices B. Lector, probè hæc dicta de Altari, quid verò ad ejus Cornua? Ingens quid! Altare quidem ob ſanctitatem, qua, ceu menſa Dei O. M. ac focus omnem peccati labem typicè expurgans, pollebat, reos ſervare poterat, ejus autem Cornua ſanctitate omnes reliquas Aræ partes longe antecedeabant, utpote Sacrificiorum pro peccato atque ſacroſanctorum ſanguinem expiatorium ſingulari prorſus ratione abſorbentes ac intra ſeſe recipientes,



tes, in reliquis autem adspersionibus sanguis in aræ tantum superficiem sparsus. Multis ostendit Majemonides in Hilc. Ma. Hakorb. Cap. VIII. Sacrificia pro peccato omnes alias hostias sanctitate superasse, quod etiam colligendum ex mandato Divino Lev. VI. 27. quo lavari jubetur omnis vestis vel gutta sanguinis piacularis commaculata, inde ea Altaris pars, cui hicce sanguis adpersus, necessario pro sanctissima censenda; Magistri Judæi hinc in Gem. Joma fol. 85. perhibent, Altare non aliter servasse reos, nisi supremum ejus verticem ascensos, i. e. versus Cornua, quæ cum superficie sanctissimas ejusdem constituere partes; quem ascensum autem perperam apprehensione unius vel alterius Cornu distinguunt, quem enim alium in finem aram conscendisse supplices crederemus, nisi salutem in sanctissima ejus parte quærentes; at quænam sanctior ipsis Cornibus? quidnam manibus supra verticem vel supra aræ circuitum protensis propinquius ipsis Cornibus? hæc ergo temerè haud sunt distinguenda. Porro non adeò certum, num sola super Altare ascensio salvos fecerit supplices, num verò proxima demum ad illud adjunctio & quidam ejus amplexus, quum verba Exod. XXI. 14. *מִעַם מִבְּחֵי תִּקְחוּרִי* *ab altari meo auferto. illum non מעל à super vel à sum-*



*summitate*, quod haud obscure, ni fallor innuit, conjunctionem cum ara quam arctissimam tantum salutem præbuisse quibusdam supplicibus, quam aliis negaverit, in quo etiam nobiscum consentientem habemus Majemonidem Hilc. Rozeach. Cap. V. Hæc cum Ara arctissima conjunctio ejusdemque amplexus quam maxumè consistebat in prehensione Cornuum, ad quod alludit locus Jes. XXVII. 5. infra considerandus, ad Aram idèò refugium sibi quærentes, si nulla alia obstitit ratio, statim cornua prehendebant ad majorem securitatem, quod clare edocent insignia exempla duorum capitalis noxæ reorum; Prius est Adoniæ 1. Reg. I. 50. qui regnum affectans sub extremis Davidis Parentis diebus, Joabi consiliis haud dubie adjutus, deinde nuncio Salomonem jam sollenniter Regem proclamatum perterritus & ab eo sibi capitiq; suo justum metuens exitium, abiensprehendit Altaris Cornua, non inde abiturus nisi Regis juramento certior factus, Consilium suum sibi damno haud fore, quo etiam facto *descendere eum fecerunt* מַחֲלֵה אֶת־הַסֻּמִּית אֶת־הַמִּזְבֵּחַ *à summitate Altaris*, deductusque ad Salomonem Imperii consilia abjiciens in pace fuit dimissus; Huic ergò adjunctio amplexusque Altaris ac prehensio Cornuum saluti fuere, licet Postea à Fratre, ob petitionem indecentem



tem Regni novam affectationem ac male-  
 fanam spirantem libidinem, oppressus sit.  
 Posterius exemplum 1 Reg. II. 28. nobis  
 narratum, disparem exitum irritumque  
 ad Aræ Cornua refugium exhibet; Joa-  
 bus rei bellicæ Præfectus, at non unius  
 sceleris reus, ideoque à Davide moriente  
 ad vindictam Salomoni commendatus, au-  
 dita Adoniæ, quem semper clam foverat,  
 cæde, idem ad Asylum, quod non longè  
 antea precarium Regem vindictæ eripue-  
 rat, confugit, parem ibi quærens salu-  
 tem; quo audito Salomon capitis reum re-  
 nunciavit Joabum, ob duplicem eadem  
 summa indignitate ac Punica perfidia per-  
 petratam, Abneris scil. 2 Sam. III. 27. ac  
 Hamasæ ibid. cap. XX. 10. ob lasæ Maje-  
 statis crimen, consiliaque perniciofa Ado-  
 niæ suggesta, aliaque scelera forsan nobis  
 ignota, ideoque juxta mandatum Divi-  
 num Exod. XXI. 14. judicans, Cornua Al-  
 taris ab ejusmodi scelerato contaminata,  
 eique Asylum minimè præbere posse,  
 Benajam Vindictæ suæ ministrum in Joa-  
 bum immisit, qui loci sanctitatem cruore  
 tam scelerati hominis polluere metuens  
 illum egredi jussit, quo renuente ad Re-  
 gis jussu iteratum Benaja ascendens in  
 Altare gladio jugulum supplicis hausit; a-  
 deoque ipsum Altare, in quo reus sine du-  
 bio constitutus, nec cornua quæ firmiter  
 tene-



tenebat, debito supplicio miserum minimè eripuerè. Num ritè, num verò secus Altare Joabi sanguine fuerit conspurcatum, hujus loci non est inquirere; malim hunc casum valde extraordinariis adnumerare, quæ consequentiam post se non trahunt, certum enim est Legem toties citatam id non suasisse, cum raptum rei ab ara ad supplicium non autem Supplicium ipsum ibi inferendum sanciat, quod etiam semper Judæis ita fuisse observatum ac in eorum Jure Civ. ita traditum, illorum Magistri uno ore affirmant, è quibus inprimis consuli poterit Majemonides in tractatu jam sapius adlegato, ac Jalkut in Exod. XXI.

§. XVIII.

Aras Diis Gentilium erectas refugium præbuisse supplicibus inviolatum, primò innoxiiis, servis durè tractatis, aliisque sceleratam violentorum hominum vim effugere nisis &c. ac non rarò etiam verè fontibus, quos inde retrahere nefas ductum, notissimum est, quare pro illa re probanda multa adducere exempla superfluum arbitror. Horum ignarus adire poterit ALEX. AB ALEXAND. Lib. III. cap. 20. Clar. CRAMERVM loc. cit. cap. X. ac Illustrem JOH. POTTERVM Archæologiæ Græcæ pag. 210. edit. Latinæ, nec non T. III. P. IV. Ddd Illust.

Illust. SPANHEMIVM Dissert. IX. de Praest. Num. §. V. VI. pag. 661. qui largam praebent messem. Hoc tantum paucis discutiendum mihi sumo, quod & in eo Gentiles aequitati tantum, quantum Lex Divina Exod. XXI. jusserat, tribuerint, ut agnoverint, ea sacrosancta refugia innocentiae tantum oppressa esse dicata, Arasque hanc solam a violentia injusta vindicare, nequitiam vero frustra ad illas sibi salutem querere; & si quando factum, id abusui tribuendum: quod breviter & dictis & exemplis nos docet profana Vetustas. Versus Graeci apud Stobaeum maxime huc faciunt, quos citat ceu fragmentum Veteris Tragediae: non certum autem sint Euripidis, uti confidenter affirmat Illust. GROTIUS ad 1 Reg. II. cum nec in integris Tragediis, nec in Euripidis fragmentis, supersint. Extant apud Stobaeum florileg. Tit. 46. de magist. in excerptis Grotianis Paris. 1623. vulgatis, in editione vero Wecheliana 1581. Lib. IV. tit. 152. sicque sonant,

Ἐγὼ γὰρ ὅστις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ  
 βαρὺν προσίξαι, τὸν νόμον χαίρειν ἔω.  
 Πρὸς τὴν δίκην ἄγομαι ἐν, ὃ τέρας θεῶν.  
 Κανὼν γὰρ ἄνδρα χεῖν κακῶς πάσχει αἰεί.

*Hunc qui facinorum conscius, nec legibus  
 Fidens ad Aras volvitur supplex Deorum,*  
 Tra-



de cornubus aræ in tabernac. &c. 777

*Trahere ad tribunal nulla religio mihi;  
Mala semper æquum ferre qui fecit mala.*

Hinc dictata Rationis audientes semper invenimus fecisse discrimen quoad Refugii causam, ac probè distinxisse inter malitiam & fortunam adversam, uti Menander apud Stobæum Tit. VII.

*Ἀσύχημα καὶ ἀδίκημα διαφορὰν ἔχει.  
Τὸ γὰρ διὰ τύχην γίγνεται, τὸ δ' αἰρέσει.*

*Discrimen enim inter injuriam ac infortunium,*

*Hoc nempe ex casu provenit, illa vero ex studio.*

Quod confirmant Oratorum Principes, Demosthenes in Aphob. Orat. 2. δίκαιον δ' εἶναι ἐλεῖν, & τὰς ἀδικίας τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὰς παραλόγων δυστυχέτας. *Iustum est misereri, non injustorum hominum, sed inscien-ter inviteque infortunio vexatorum;* & M. Tullius de Invent. Lib. II. cap. 36. *Eorum misereri oportere, qui propter fortunam non propter malitiam in miseriis sint;* ac Antiphon Orat. XV. pag. 134. ed. Wechel. τὸ ἀκούσιον ἀμάχημα τῆς τύχης ἐστίν, τὸ δὲ ἐκούσιον τῆς γνώμης; *involuntarium facinus peccatum est fortune, voluntarium verò propositi.* Hinc Pythius Apollo juvenem, cujus ferrum à latrone aberrans socium jugulaverat, bono jussit esse animo, apud Ælianum Var. Hist. Lib. III. cap. 44.

Ddd 2

”ΕΚΤΗ.

778 Joh. Rod. Gruneri Disquisitio

Ἐκτενας τὸν ἑταῖρον ἀμύνων, ὃ σ' ἐμίανεν  
Αἷμα, πέλεις δὲ χέρας καθαρώτερος, ἢ πά-  
ρος ἦοδα.

*Adjutans socium peremisti, nil verò pol-  
luit te*

*Ista cædes, manibus magis es purus ac  
antea.*

Egregia Aræ Misericordiæ apud Statium  
descriptio nobis clare indicat, quibusnam  
præbuerit refugium, Thebaid. Lib. XII.  
v. 481.

*Urbe fuit media nulli concessa potentum  
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem.  
Et miseri fecere sacram. Sine supplice  
nunquam*

*Illa novo: nulla damnavit vota repulsa. ---  
Huc victi bellis, patriaque è sede fugati,  
Regnorumque inopes, scelerumque errore  
nocentes*

*Conveniunt, pacemque rogant. - - -*

Hanc ob causam quandoque factum, ut in-  
signes nebulones ad Aras Deorum Refu-  
gium quærentes, non quidem vi inde ra-  
pti, ne sacrorum temeraretur Religio;  
sed, quia tales supplices tutela sacrorum  
indigni judicati, igne vel fame obfessi  
fuerant, ut sua sponte inde recederent, vel  
id nolentes illic enecati pœnas luerent;  
sic in Euripidis Andromacha v. 256. Her-  
mio-



mione ignem minatur Andromachæ juxta  
Thetidis signum sedenti:

Πῦρ σοι προσίσω, καὶ τὸ σὸν προσκίψο-  
μαι. - - -

Ἐγκατερεῖς δὴ θάνατον; ἀλλ' ἐγὼ σ' ἔδρας

Ἐκ τῆς δ' ἐκθσας ἐξαναθήσω τάχα,

τοιοῦν δ' ἔχω σὺ δέλειαι. - - -

Κάθησ' ἐδραία. καὶ γὰρ εἰ περίξ σ' ἔχει

Τηκτὸς μολιβδῶς, ἐξαναθήσω σ' ἐγὼ.

*Ignem tibi admovebo, nec te suspiciam - -*

*Perferes igitur mortem? sed ego te sede*

*Ex hac cito volentem excitabo;*

*Talem habeo escam ad te eliciendum - -*

*Sedeas firma; nam etsi undique te teneret*

*Liquefactum plumbum, hinc tamen pel-  
lam te.*

Ad quæ vetus Scholiastes observat, ἔθος  
ἦν τοῖς εἰς βωμὸν καταφεύγασιν πῦρ προσφέρειν.  
Idem Tragicus in Hercule far. v. 240. Ly-  
cum introducit, qui Herculis consanguini-  
neos ejusmodi minis ab ara depellere co-  
natur,

Ἄγ', οἱ μὲν ἐλικῶν, οἱ δὲ παρνασθ' πτυχὰς

Τέμνειν ἀνωχθ' ἐλθόντας ὑλκεγούς δι' υἱός

Κορυμῆς, ἐπειδὰν δ' εἰσκομιδῶσιν πόλει,

βωμὸν περίξ νήσαντες ἀμφὴρ ἕζυλα

Ἐμπίπτειν αὐτῶν, καὶ πυρᾷτε σώματα

Πάντων - - -

*Agite, alii quidem in Heliconem, alii in*

*Parnasfi valles*

*Lignatores profectos iubete secare quercuum  
Truncos; postquam verò in urbem portati  
fuerint,  
Circum aram cumulantes utrinque constru-  
cta ligna,  
Incendite, & cremate corpora ipsorum  
omnium.*

Hunc locum imitatus Tragicus Latinus,  
ut Lyci rabiem in immensum augeat, eum  
introducitur jubentem totum Templum in-  
cendio absumi, Seneca Herc. fur. v. 503.

*Complectere aras, nullus eripiet Deus  
Te mihi; nec orbe si remolito queat  
Ad supera victor numina Alcides vehi.  
Congerite sivoas, templa supplicibus suis  
Injecta flagrent; conjugem & totum gre-  
gem  
Consumat unus igne subjecto rogas.*

Apud Plautum Theuropides ignem mina-  
tur Tranioni Servo aras amplectenti,  
Mostellaria Act. V. scen. i. v. 64.

*Nunquam edepol hodie inultus destinave-  
rim tibi,  
Jam jubebo ignem & sarmen, carnisfex,  
circumdari.*

Apud eundem Labrax impurissimus homo  
introducitur, qui ancillas ad Veneris A-  
ram refugientes flammis inde absterre-  
minatur, Rud. Act. III. Scen. 4. v. 55.  
Atquin,



de cornubus aræ in tabernac. &c. 784

*Atqui, quia vetas, utramque jam me-  
cum abducam simul.*

*Dæ. Quid facies? Ea. Vulcanum adducam;  
is Veneris est adversarius. - -*

*Ea. Ibo hercle, aliquo queritatum ignem.*

*Dæ. quid cum inveneris?*

*Ea. Ignem magnum hic faciam. Dæ. Quin  
ut humanum exuras tibi?*

*Ea. Imo hæcæ ambas hic in ara ut vivas  
comburam.*

§. XIX.

Idem aliquando reipsa factum re-  
fugiumque ad Tempia vel Aras sceleratis  
non profuisse, nos docet Historia; Ita La-  
cedæmonii hoc privilegium eludentes,  
Pausaniam, qui patefactis consiliis, quæ  
cum Persis adversus Patriam iniverat, ad  
Minervæ Chalci sanum confugit, ibidem  
fame necantes, narrante Thucydide Hist.  
Lib. I. sect. 134. pag. 86. edit. Dukeri.

Πρὸς τὸ ἱερὸν τῆς χαλκίδος χωρῆσαι θεῶν, καὶ  
προκαταφυγεῖν. ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ τέμενος, καὶ ἐς  
οἶκημα ἔμεγα, ὃ ἦν τῶ ἱερῷ, ἐσελθὼν, ἵνα μὴ  
ὑπαίθριος ταλαιπωροῖ, ἡσυχάζειν. οἱ δὲ, τὸ παρ-  
αυτῆα μὲν ὑψέρησαν. τῇ δὲ μετὰ δὲ τῷτο,  
τῶ τε οἰκήματος. τὸν ἑροφον ἀφῆλόν, καὶ τὰς θε-  
ρας, ἐνδὸν ὄντα τηρήσαντες αὐτὸν, καὶ ἀπολα-  
βόντες εἰσὼ, ἀποκοδόμησαν, προσκαθεζόμενοι  
τε, ἐξεπολιόκησαν λιμῶ. Ad Templum Palla-  
dis Chalcidæe cursu se proripuit & fuga infe-  
quen-



quentes se anteverit. fanum autem erat vicinum & in exiguum templi adiculam ingressus, ne sub dio agens incommodum pateretur, in ea se continebat. Illi verò qui eum insequuti, tunc quidem assequi non potuere; sed postea & ipsius adiculæ tectum sustulerunt, & valvas, cum eum intus esse observassent, & ingressum circumdeditissent, muro obstruxerunt, eumque obsidentes fame expugnarunt. Ut tamen omni crimine in hac asyli violatione fortè commissio, vacui essent Lacedæmonii, duo corpora postea Palladi pro Pausaniæ cadavere persolvere, duas scil. statuas æneas ipsum Pausaniam supplicem repræsentantes, observante eodem Thucydide in mox sequentibus, & Pausania in Læconicis Cap. XVII. pag. 252. edit. Lips. qui observat, Pausaniam Imperatorem solum ex omnibus, qui supplices ad Chalcicæ confugissent, impunem non evasisse, nullam aliam ob causam, quam quod eluere, nullis Jovi *Φοῖβῳ* Absolutori, deprecationibus susceptis, nullis Psychagogorum Phigalæ in Arcadia lustrationibus, potuisset piaculum cædis in Cleonica Virgine Byzantina quam deperibat, patratæ, etsi involuntaria fuisset; vix tamen crediderim Lacedæmonios, qui patriæ proditorem quocunque modo perdere voluerant, hoc ita persuasum habuisse; Idem enim Minervæ fanum Asylum alias erat in-



de cornubus aræ in tabernac. &c. 783

inviolatum pro talibus etiam, qui jam ad supplicium damnati, uti observat Polyænus Stratag. Lib. VIII. cap. 51. ac Polybius Lib. IV. cap. 35. qui ceu immane quoddam scelus refert, Ephoros in eodem fano à quibusdam adolescentibus Lacedæmoniis fuisse trucidatos. Aliam historiam violatæ Asyli immunitatis nobis tradit rursus Thucydides Lib. I. sect. 126. pag. 81. cives perduelles, qui Duce Cylone Tyrannidem affectante Arcem Athenarum vi occupaverant, sed, ea ab Atheniensibus recuperata, ad Aras Minervæ ac Eumenidum confugerant, unde nefas vi quendam abduci, jam jam fame pereuntes, custodibus sese tradidisse, sed contra datam fidem statim trucidatos, immò nonnullos Aræ Eumenidum insidentes parem subisse sortem Idem Lib. III. sect. 81. pag. 215. auctor est, seditiosos apud Corcyraos in Junonis Fanum supplices sese recipientes, partim verbis ad judicium subeundum persuasos, adductos vero capitis fuisse damnatos, reliquorum plerosque ex arboribus laqueis sese suspendisse, ceteros in Bacchi fano muro septos fame periisse. Sic Arsionē Cleopatraz soror jussu ac ope M. Antonii in ipso Dianæ Ephesinæ fano sanctissimo miseranda periit necesse, nullum ob crimen vel facinus commissum, sed quod esset soror fœminæ in-

D d d 5                      sati.



fatiabili accensa cupiditate omnia possidendi solaque dominandi, uti narrat hæc Josephus Antiq. Jud. Lib. XV. cap. 4. Hoc semper apud Gentiles pro summo crimine habitum, supplices licet omni indignos misericordia in ipsis Templis trucidare, uti notat sextus Empiricus Pyrrhon. Hypoth. Lib. I. cap. 14. pag. 38. ed. Fab. *παρά δὲ ἡμῶν ἀνθρώπων ἀπέχεται πρὸς ἱερὰ φονεύειν*. Apud nos verò hominem in templo interfici vetitum est; ac piaculum reputatum erat, Aras humano fœdare cruore, nisi quum victimæ humanæ caderentur; hinc Thucydides loco allegato notat, illos, qui cives perduelles in Eumenidum Ara interfecerant, exilio mulctatos ac ἐναγῆς καὶ ἀδύσπλους sceleratos ac impios una cum omni posteritate fuisse vocatos. Distinctio hæc tamen probe observanda, è quibusdam fanis s. Aris abripere supplices qualescunque nefas fuisse, id verò in aliis licuisse, hoc nos edocet Servius ad Æneid. H. v. 761. *Junonis Asylo. Templo, unde nullus possit ad supplicium extrahi: Dictum Asylum quasi Asyrum, hoc autem non est in omnibus Templis, nisi quibus consecrationis Lege concessum est. Alii Asylum idè dictum, quod nullus inde tolleretur, i. e. quod σὺλαῖσαι abripi nullus inde poterat, vel quod fugienti illuc spolia non detraherentur, σὺλα enim græce aut furta aut spolia dicuntur.* Ab his quia



quia vi avellere nefas, igne vel fame supplices pellere nunc sævitia, nunc vindictæ libido, nunc etiam ipsa justitia non rarò excogitavit. Sed ab aliis Fanis, quibus speciale hoc consecrationis in Asyla privilegium non erat impertitum, abducere licebat supplices, non quosvis tamen, sed graviorum reos criminum aut servos fugitivos. Ipsa fanior ratio ac id genus Asylorum primitiva hoc docuit institutio; Hinc Minerva ad Orestem supplicem, qui ad simulacrum Divæ jussu Apollinis confugerat, ita fatur, apud Aeschylum Eumen. V. 442.

Εἴπερ πεποιθὼς τῇ δίκῃ, βράτας τόδε  
ἦσαι φυλάσσων ἐσίας ἀμῆς πέλας.

*Si quidem justitiæ causæ tuæ confisus, hoc  
simulacrum*

*Sedens amplexus, prope aram meam.*

Idem innuit memorabile dictum apud Thucydidem Lib. IV. sect. 98. pag. 296. καὶ γὰρ τῶν ἀκροσίων ἀμαρτημάτων κατὰ Φυγὴν εἶναι τὰς βωμῆς, παρανομίαν τε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκῃ κακοῖς ὀνομαδῆναι, καὶ ἐκ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυμφερῶν τι τολμήσασιν. i. e. Etenim delictis non voluntariis Aras esse refugium; Sclerisque nomen impositum illis flagitiis, quæ quis nulla necessitate compulsus committit, non autem illis, quæ homines rebus adversis coacti committere audent. Apud Diodorum Siculum



lum Lib. XIII. pag. 157. edit Rhodoman. Gylippus Laco in Syracusanorum concione contra Athenienses captivos de Jure Supplicum differens inquit; οἱ γὰρ αὖ ἀρχῆς τὰ περὶ τούτων νόμιμα διατάξαντες, τοῖς μὲν δυσυχῶσι τὸν ἔλεον, τοῖς δὲ διὰ πονηρίαν ἀδικῶσιν ἑτάξαν τιμωρίαν. i. e. *Nam qui principio Leges de his constitutas tulerunt, calamitosi misericordiam, & sceleratè delinquentibus supplicium decreverunt.* Inde Tiberius Cæsar, crescente inter homines indies nequitia, quæ non rarò impunita manebat ob Asylorum opportunitatem ac frequentiam, *abolevit vim moremque Asylorum,* narrante Suetonio in Tib. cap. 37. vel certè, si non planè vel omnia abolevit, modum iis adhibuit, uti narrat Tacitus Annal. Lib. III. cap. 60. ex quo illustrandus, uti sæpe alias, Suetonius; ita ille, *Crescebat enim Græcas per urbes licentia atque impunitas Asyla statuendi; complebantur Tempia pessimis servitiorum, eodem subsidio oberati adversum creditores, suspectique capitalium Criminum receptabantur, nec ullum satis validum imperium erat coercendis sediti- onibus populi, flagitia hominum ut cerimonias Deum prætegentis. Igitur placitum, ut mitterent Civitates Jura atque Legatos; & quedam quod falso usurpaverant sponte omisere; multa vetustis superstitionibus aut meritis in Populum Romanum fidebant.* & Cap. 63. idem ita:



ita; *Factaque senatusconsulta, quis multo cum honore, modus tamen præscribatur.*

§. XX.

Tandem pervenimus ad spirituales Altaris Cornuum significationem, quam minimè in variis Allegoriarum figuris, neque in convenientiis magna ex parte ad lubitum effictis ac sapius obtorto collo raptis ponendam puto, uti quidam non incelebres ex modernis Theologis facere amant, sed ut errorem in tam gravi subjecto quantum erit possibile devitem, Dux mihi potius erit ipsemer Spiritus Veritatis, qui in Verbo suo hocce Mysterium non admodum obscurè nobis commonstrat. Triplicem Rationem, quare Deus voluerit Aram cornibus in angulis esse instructam, jam lustravimus, ita tamen integra res nondum est confecta: cum enim certum si, utramque Aram magnum quid significasse ac præ se tulisse mysterium, ac clarissimè adumbrasse J. CHRISTVM, qui ideò à D. Paulo vocatus *Altare nostrum* Heb. XIII. 10. de quo instar omnium conferri poterit Clar. CRAMERVS Tract. jam sapius adlegato Cap. ultimo, meritò querendum, quamnam rationem atque respectum hæc habuerint Cornua ad integrum Altare quod S. Servatorem repræsentavit, & quid illa peculiariter adumbrave-



braverint ; seorsim enim aliquod præ se tulisse mysterium nullus dubito, quoniam usus quosdam habuere particulares sibi proprios, ac à reliquæ Aræ ejusque variarum partium usibus quam maxumè distinctos, uti suprà monstratum fuit. Porro sub hisce Cornibus aliquid latere piam mentem persuadebunt frequentes in S. Scriptura loquutiones, quæ Mesiam sub emblemate *Cornu* nobis sistunt, haud dubiè proximo sensu ob roboris, celsitudinis summæque excellentiæ notionem, quam repræsentant Cornua, uti docent exempla §. I. allata, quæ tamen omnem *ἐνσπρηται* ejusmodi Phræseos non semper exhauriunt. Ita D. Mesias vocatur *Cornu Davidis quod germinare faciet Jehova*, Ps. CXXXII. 17. *Cornu Populi sui quod effert Jehova*, CXLVIII. 14. ac LXXXIX. 18. 25. Ita 1. Paral. XXV. 5. recensentur filii Hemanis qui vocatur *Videns Regis* כרברי קת האלהים להרים קת in Verbis Dei de extollendo *Cornu*, i. e. in vaticinando de gloria Regni Davidis & Salomonis ac de futura gloriosa benedictione stirpis Davidicæ in nativitate Mesia ex gente Jesse oriundo. Sic Hanna in Cantico, quod cecinerat ad celebrandam Dei benignitatem in largiendo sibi filium exhibitam, cujus nativitas cum suis circumstantiis uti & ipsum Canticum miram quandam præ se ferunt



ferunt convenientiam cum nativitate D. Johannis Baptistæ ac Cantico Zachariæ, inquit, *dabit Jehova fortitudinem Regi suo, & extollet Cornu uncti sui*, 1 Sam. II. 10, sic Psal. XVIII. 3. Hieropsaltes potentissimum Dei auxilium quam magnificis verbis effe-rens canit, *Deus est rupes mea, clypeus meus, & Cornu salutis meæ*, quam ultimam Phrasin ad literam sequutus est Zacharias in Divino Cantico, quod personuit ob natum sibi adeò miraculosè tantisque sub auspiciis filium, ac propè insequenturam Dei Filii incarnationem, quam probe perspectam teneus inquit, *benedictus Dominus Deus Israelis, quod inviserit ac redemerit Populum suum, & erexit κέρασ σωτηρίας Cornu salutis nobis in domo Davidis filii sui*, Luc. I. 69. Vide de his Celeb. EWALDVM Emblem. sacr. Tom. I. exerc. X. Non puto has adpellationes D. Mesiiæ tanta cum emphasi tributas nihil aliud innuere quam vulgarem sensum rationemque trivialem sub emblemate Cornu involutam, eamque significationem integrè Scopō Spiritus S. satisfacere, quam licet sat magnificam, cum tot aliis rebus, creaturis, Regibus hujus Mundi, imò non raro impiis etiam communem haberet Dei Filius; imprimis τὸ κέρασ σωτηρίας ac ἰσχυρ. aliud longè augustius sonant, quam vel Regiæ Majestatis summum fastigium, quum

quum præcipua emphasis hujus tam insolitæ Phræseos in voce σωτηρίας ejusque conjunctione cum Voce κέρως absque ullo dubio sit quærenda.

## §. XXI.

Cel. Viri LAMPE ac LE MOYNE sententiam quandam de his producant, quæ quidem sat ingeniosa est. Existimant enim in allegatis S. Scripturæ locis allusionem fieri ad Nubis & Ignis Columnam Ducem itineris Israelitarum per deserta, ejusque lucem ac splendorum voce קר significari; Quæ tamen opinio nobis non probatur, eamque funditus jam evertit Celeb. EWALDVS loc. cit. certè illa minime satisfacit voci *Salutis* cum *Cornu* conjunctæ, nullaque ratione nubis Columnæ congruere potest; è contrà omnia clarè ac rectè procedunt, ac non leves difficultates tolluntur, si nobis persuasum sit, sub hisce Phrasibus allusionem ad Aræ Cornua latere; quod & à magni nominis S. Scripturæ Interpretibus factum, & ipsa rei veritas suadet, uti demonstrant Cel. Viri BVCHERVS Antiq. Evang. p. 890. seq. & EWALD. l. c. sequentibus inducti argumentis, quibus calculum meum citrà hæsitacionem addo. *N. Cornu Salutis* dici meretur Rex Messias respectu habito ad Aræ Cornua, eò quod hæc Refugii locum à furore ac persecuti-

one



one Vindicis tutissimum præbuere, cumque profugis cadis reis sed involuntaria, adeoque ipsis vera ac proxima causa salutis & incolumitatis extitere. Ipse autem D. Messias longè excellentius præbet Refugium, in divino suo merito omnibus fessis, laborantibus, à justa Numinis vindicta ad æternum petitis supplicium, non solum involuntariè reis, sed verè noxiis, eosque non temporali tantum vita ac impunitate, sed æterna ac indissolubili donat vita, itaque ille nobis unica causa status unice beati.

II. Altaris Cornua Sanguinem expiatorium piacularis hostiæ absorbuere, superque iis peracta expiatio pro peccatis, nullusque sanguis eam obtinuisse ratus, nisi Cornua tetigisset. Sanguinem verè expiatorium JESU C. unicum esse qui tollit Mundi peccata, persuasum est cunctis, qui CHRISTO nomen dedere; illum ipsum tamen pretiosissimum Sanguinem aptum ratumque ad id opus non fuisse nec esse potuisse, nisi à Θεὸς ὁ πῶτος fusus, in Ara Divinæ Naturæ sparsus, ac summa ejusdem dignitate ac quasi vertice celsissimo absumtus consecratusque, nec minus certum est, integrumque adorandum Redemptionis Mysterium id abundè suadet.

1. Cornu salutis *erigi* dicitur in Domo David. III. P. IV. E e e vidis

vidis, quod manifestum habet respectum ad Altaris Cornua, quæ erecta in ejusdem angulis atque in Domo Dei erant conspicua, quæ Domustypus fuit Ecclesiæ s. Domus Davidis spiritualis, ad quam salus hæc à Mesfia parta unice pertinet.

7. Luc. I. v. 71. Zacharias de hoc Cornu in gente Davidis erecto canit, *qui servaret nos ab inimicis nostris & è manu omnium odio nos habentium*, ac v. 77. salus, quam hocce Cornu adfert explicata per *remissionem peccatorum*, quam Populo mox parandam nunciare debuit Mesfiæ Præcursor; Duplex hic erectionis Cornu salutis scopus mire convenit cum duplici usu Aræ Cornuum ἀσυλία scil. & expiatione delictorum.

π. Loci paralleli 2 Sam. XXII. 3. & Psal. XVIII. 3. hanc allusionem non parum firmanant, cum Hieropsaltes ibi phrasi *Cornu Salutis* aliam jungit, scil. מִשְׁבֵּר ac מַצְלָה *propugnaculum, refugium meum*, quæ, licet etiam de rupibus, speculis, propugnaculis in montium jugis constitutis, qualia in Judæa non rara, exponi possit, refugium tamen ad Aræ Cornua, ac quasi sub alas Divinæ Præsentix corporaliter in signo Sanctuarium Templi inhabitantis, egregie innuit, præsertim posterior.

7. Zacharias verosimillimè loquutionem hanc non tantum è locis V. T. parallelis, fed



sed etiam à re desumfit ipsa cum dictis Davidicis optumè congruente, quæ ipsi ceu sacerdoti sæpè sacro ministerio in Templo functo longè erat notissima, cuiusque usum ac mysterium probè perspiciebat, quod ejus pietas ab ipso SpirituS. tam egregio ornata testimonio credere nos jubet. Quid ergò mirum, si pius se rex in summo gaudio, quopectus habebat perfusum ob nativitatem tam stupendam masculæ prolis ac mox insequenturam Verbi incarnationem, afflatu divino permotus, hæcce cecinit, quæ perspectio tanti mysterii sub Ara ejusque Cornibus adumbrati ac tantæ salutis anxia expectatio, piæ menti suggerebant suadebantque.

## §. XXII.

Quum igitur allusio ac mysteriosa expressio, quæ sub phrasi *Cornu salutis* involuta, ad Altaris Cornua optumè ac longe opportunius quam ad ullam aliam rem referri poterit, eam in animo habuisse pium sacerdotem nullus dubito; Quid ergò impedit, quo minus credamus, sub Cornubus utriusque Altaris adumbratum piorumque menti & quasi oculis in pictura exhibitum fuisse Dominum ac Servatorem nostrum JESVM C. qui, uti alio respectu, quoad scil. in natura humana immolandus, mortem obiturus, ac sacrificium

cium loco nostro erat futurus, sub victimis præsertim holocaustis ac expiatoriis varie repræsentabatur, ita quoque sub ipso altari haud dubiè fuit figuratus, non quidem illa ratione, quâ Victimam illi imposita, sed quâ Victimam consecrabat, quæ alias non legitima nec ritè oblata fuisset. Ipse enim solus, cum Verbum Deum naturæ humanæ in eadem persona haberet junctum, varias vices in oblatione hostiæ, quæ unica in æternum consummavit quoscunque sanctificatos & sanctificandos, administravit. Fuit enim Sacerdos, Altare, & ipsamet Victima, quod clarè admodum innuit D. Apostolus paucissimis hæc omnia verbis comprehendens Heb. IX. 14. *Qui per Spiritum æternum semet ipsum obtulit inculpatum Deo &c.* confer cap. XIII. 10. III. 1. IV. 14. Ephes. V. 2. Joh. X. 17. 18. ac permulta alia tabularum Novi Fœderis loca huc spectantia. Divinam ergo Mediatoris Deum inter & peccatorem naturam sub Altari Veteris T. fuisse adumbratam generaliter, persuasum habeo, ejusdem verò Altaris Cornua ad eandem respexisse specialiter, haud minus certum mihi videtur. Neque enim sollicitos nos habere debet duplex hæc quasi adumbratio, nec inutilis censenda est repetitio, quot enim quæso cultus Levitici partes speciales eandem unamque Novi Fœderis rem



rem repræsentavêre ? Sic omnes planè innumera diversæque Victimæ ad unicum perfectissimum CHRISTI sacrificium, omnes tam variz libationes ad ejus sanguinem, Altare Aureum duplexque in eo peractum ministerium ad unicum munus sacerdotale binasque illius partes, Arca Fœderis variusque illius usus, in exhibendo externo Divinæ Gloriæ symbolo, in recipiendo sanguine versus Propitiatorium sparso, in peragrando deserto, in procedendo in aciem contra hostes &c. ad unum Dei Filium ejusque incarnationem fructusque inde procedentes referenda erunt. Neque temere Cornua à cœtero Altaris corpore sunt divellenda, sollicitè enim à Deo O. M. cautum, uti ex eadem materia eodemque opere continuato existerent; alias enim nec illa nec hoc ritè sese habuissent, ideoque minimè ceu aliquod per se vel ab Ara alienum, sed ceu illius gloria ac pars sanctissima cellissimæque omnino consideranda veniunt; Quod idè Ara in genere ac non nisi certò tantum respectu, id cornua in specie ac longè excellentissimo modo adumbrarunt.

## §. XXIII.

Quod Altaris Cornua figuram exhibuerint spectabilem ac venerandam, in præcedentibus jam visum fuit, variisque exemplis demonstratum, qualem etiam no-

Eee 3 tio-



tionem stylus Spiritus S. cornibus in genere tribuat. Hoc autem sensu Divinam Regis Mesſiæ Naturam commodè sub hoc ſymbolo latuiſſe dici poteſt. Ipſemet enim eſt *ectypus Divinæ Majeſtatis & fulgor Gloriæ ejus*, Hebr. I. 3. *Gloria Jehovæ* Cherubino- rum alis inveſta Ezech. X. 4, 18. antity- pus venerandæ illius Schechinæ ſuper Pro- pitatorio, in quo umbraticè conſpicien- da erat Gloria Dei Iſraelis, donec fide- libus copia foret dicendi, & *ſpectavimus*, reapse, propriè, propriis oculis, *Gloriam ejus, Gloriam ut Unigeniti à Patre, plenum gratiæ ac veritatis*; Joh. I. 14. *Gloria ac Ma- jeſtate coronatus* dicitur Pſal. VIII. 6. inde quoque non rarò in viſione S. Vatribus ſe- ſe exhibuiſſe legitur ſub auguſtiſſima quam mens vel unquam excogitare vale- ret forma; tali Majeſtatis Divinæ fulgore, quem vel puriſſimi Oculi ſanctiſſimæque Corda pio horrore adorantia ferre tamen nunquam valuiffent, niſi divinitus cor- roborata, vide Dan. X. 5-19. Math. XVII. 6. Apoc. I. 17. quare ipſemet Salvator præ- dixit, fore ut tremendo illo Judiciï no- viſſimi die venturus ſit *cum gloria ſua ſti- patus Angelorum myriadibus*, Math. XXV. 31. Dignus enim voce Angelorum Chori judicatus eſt *Agnus ille maclatus, qui acci- piat Potestatem, potentiam, ſapientiam, ho- norem & Gloriam*, Apoc. IV. 12. hanc inter alia per Aræ cornua voluit adumbrari.

§. XXIV.



§. XXIV.

Maximè verò eadem repræsentasse J. CHRISTI Divinitatem constat in adspersione sanguinis super hæc Cornua peracta; Hoc nos docet, in J. CHRISTI Persona, qui sanguinem humanum fudit ad expianda Mundi peccata, junctum esse summum meritum, quippe *Vitam posuit pro Ovis*, Joh. X. 15. simul cum summa Potentia servandi, *vitam enim dat æternam illis, neque peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manibus suis*, v. 18. Per ipsum verus ac perfectissimus sanguis expiatorius, qui propria virtute expiat peccata, est oblatus, 1 Joh. I. 7. Ipse ille est, qui nobis propositus *ad Propitiarium per fidem in illius sanguinem*, Rom. III. 25. *qui nos Deo reconciliavit, cum adhuc essemus hostes*, Cap. V. 10. *Qui terræ illius peccata sustulit uno die*. Zach. III. 9. Idque omne effecit pretiosissimo sanguine, quem ejus humana Natura præbuit atque ex intimis præcordiis copiosissimè fudit, quæ tamen humanitas artissimè in eadem Persona incomprehensibili nobis modo nexuque juncta erat Divinitati, eò ut hæc præcipuam dignitatem ac gravissimum valorem pondusque piaculari huic sanguini præberet, qui adeò quodammodo Divinitati quasi Aræ Cornibus inspersus, ab illa omnem suum valorem accipiens, tum demum ritè fusus censebatur. Sanguinis expia. o. ii



in Cornua reliquamque Aram adpersio olim innuebat, offerentem Numini sollenniter dare ac consecrare hostiæ vitam animamque, quæ in sanguine constituta, Deumque, qui ipsemet hunc ritum præscriperat, hostiam in hominis expiationem ac quasi loco ipsius accipere, gratamque habere; Sic CHRISTVS J. vitam ponens ne victima, ceu sacerdos semetipsum per Spiritum æternum Deo ad piaculam gratissimi odoris ad ἀντίλοτρον pro nobis consecravit, summæ tamen perfecta Divina Justitia placide atque integerrimo beneplacito hocce immensi pretii piaculum admisit eoque acquievit, sed haud ante quam Redemptoris Divinitati ceu Aræ Cornibus adpersum, cum illa arctissimo nexu conjunctum, atque per illam ad immensam eam, quam necessario habere debuit, dignitatem fuisset evectum.

Cruor olim Victimæ, licet munda, cæsa, ritè præparata, omnibus numeris juxta Legis Divinæ præscriptum absolutæ, frustra tamen erat fusus, nulloque modo peccatorum expiationem obtinebat, nisi etiam cornibus Altaris esset illinitus iisque junctus. Ita Mundi Redemptor frustra cæsus sanguisque ejus esset irritus, nisi Divinitas eundem sanguinem Deo Judici obtulisset ac sua sanctitate ceu immenso pretio instruxisset, ut ad Opus Redemptionis aptus foret. Piaculorum sanguis quatuor  
Aræ



Aræ Cornibus ad totidem Mundi plagas spectantibus imponi per adspersionem debuit, non tantum uni vel alteri, sed omnibus expresso Dei mandato. Sic sanguis Agni Dei per ejus Divinitatem, quæ ubicunque præfens cœlum terramque implet, cujus gloriæ inservit plenitudo terræ, integerque mundus gloria ejus impletus, fuit consecratus, ut sit efficax quam maxime peccatorum expiatio, purificatio conscientiarum, ac vera adspersio contra immunditiam omnium fidelium ad quamvis cœli plagam degentium quovis mundo vivant, eorum quippe D. Johanni in visione exhibita *ingens turba, quæ numerari nequit, ex quacunque gente, tribu, populo linguaque, stans ante Thronum Agni*, Apoc. VII. 9. Denique Cruor piacularis hostiæ Cornibus Aræ inditus olim à sacerdote, ut in quoddam extaret quasi monumentum peccatorum hominum, iisque quotidie delictorum reprobaret atrocitatem, mortisque assiduam comminationem, quæ transgressioni Legis iuncta cum exitiali horrendoque carmine iisdem jugiter ob oculos poneret, eosque commonefaceret de futura tandem vera expiatione vero unicoque sacrificio huiusque summa necessitate, adeoque Cornua Aræ sanguine expiatorio tincta extitere ceu quoddam chirographum justitiæ Dei vindicatrici exhibitum, quo se quilibet piacularem offerens victimam,



fontem, reum, debitorem, qui solvendo non esset, declarabat, sui que debiti publicum hocce testimonium tabulamque cui libet noscendam suspendebat. Hoc clarè innuunt Verba Jehovæ per Prophetam Populo Judæorum exprobrantis, *Peccatum Jude scriptum est stylo ferreo & scalpulo lapidis perpetui, exsculptum in tabula cordis ipsorum ad Cornua altarium vestrorum* Jer. XVII. 1. Ita divinus noster Redemptor lapsus, peccata, transgressiones omnium in se credentium sustulit, bajulavit, ac in crucem deportavit, non verò, ut nobis illa exprobraret, atque in testimonium perfidiæ ac defectionis nostræ erigeret, vel insufficientiæ atque debilitatis nostræ nos admoneret, sed potius, ut cruenta illa damnationis monumenta, sanguine piaculari conscriptos culpamque exprobrantes libellos morte sua laceraret, chirographum illud cruci affixum penitus deleteret, ac omne quod non absolutissimam spiraret redemptionem funditus pessundaret, ut nobis integram imò æternam reconciliationem pararet.

## §. XXV.

Ultimo loco idem Divinus Servator admodum clarè fuit repræsentatus per Aræ Cornua, quatenus illa cædis involuntariæ reis, ac ceu talibus sine hoc aliorumque asylorum refugio summè miserandis ac vindictæ Goelis expositis, refugium sacro-  
fan-



sanctum præbuere. CHRISTVS tamen ceu  
 Antitypus longè eminentiori gradu tutissi-  
 mum sanctissimumque nec vi nec arte  
 superandum præbet Asylum, non modo in-  
 firmitatis, lapsus involuntarii, omnibusque  
 mortalibus communis labis reis, sed cuicum-  
 que vel maximo peccatori, summè noxio,  
 læsæ Divinæ Majestatis summo in gradu reo,  
 perduelli atque perjuro aditum ad hocce  
 Refugium in sanguine suo ineffabili pandit  
 amore, modo ad illud cum fide non fucata,  
 sensu propriæ miseræ, notitia summe in-  
 digentiæ, ac confidentia salutis ibi offen-  
 dendæ confugiat. Hoc ipsemet testatum  
 dedit Jes. XLV. 22. *Respicite me & servi-  
 ni omnes fines terræ, ego sum Deus fortis &  
 nullus præter me; Servati ad stipulantes re-  
 sponsum dant, tantummodo in Jehova omnis est  
 justitia ac robur; ipse est Arx munita ac nomen  
 ejus, ad quam confugit Justus ac præsidium  
 adipiscitur, Prov. XVIII. 10. Ipse est signum  
 Populorum è radice Isai, ad quem gentes con-  
 sulturæ venient, Jes. XI. 10. Omnes beati, qui  
 ad ipsum confugiant, Psal. II. 12. Homo bea-  
 tus qui in ipso ponit fiduciam suam, LXXXIV.  
 13. Ab hoc quippe Asylo nemo unquam,  
 nec mors, nec Mundus nec omnis Portæ  
 inferorum rabies avellere per fidem illud  
 amplexos in æternum valebunt, *quis enim  
 separabit nos à Charitate Christi &c. Rom. VIII.  
 35. Aræ Cornuumque ejus Asylum olim  
 præcipuè sacerdotibus cædis invitæ reis*  
 tute-*



tutelam præstitit, iisque magis fuit opportunum ac cæteræ Israelitarum turbæ. Nos verò, CHRISTO qui nomen dedimus, omnes sumus sacerdotes spirituales Apoc. I. 6. 1 Pet. II. 5, 9. communionem mystici Altaris gaudentes, ad illud quotidie accedendi facultate pollentes, atque cum illo per communionem Corporis Sanguinisque illius per veram fidem communicantes. Nobis ergò eminentissimo modo dici potest, erectum esse ad commodum nostrum hoc Asylum, hocce *Salutis Cornu*, ad servandum nos ab hostium furore, qui animæ nostræ exitium infesti anhelant, licet minimè firmus infons, sed heu! omnis labis corruptelæ ac rebellionis rei, tamen si onere peccatorum pressi ac nostra de miseria convicti Math. XI. 28. ad Aram hanc nosmet conijcimus, Cornua hæc illorum meritum ac potentiam amplectentes fideque firmiter tenentes, in iisdem manentes, omnemque nostram salutem iis acceptam habentes, amplissimum certò inventuri sumus simul ac invictum nulloque tempore violandum Refugium, quod ab omni exitio vindictos nos reddet in æternum, quod unice salutiferum Asylum ipse Pater Cœlestis pro immensis misericordiarum suarum divitiis Peccatori de salute sua anxio indicavit Jes. XXVII. 5. *Sin, prehendet ROBVR MEVM, faciet pacem mecum, pacem faciet mecum.*

ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*




# INDEX I.

Locorum SS. pasſim in hoc Tomo  
expoſitorum aut illuſtratorum.

Numerus major Partes, poſterior pa-  
ginas denotat.

|                |             |                |              |
|----------------|-------------|----------------|--------------|
| Gen. I, 31.    | - III, 475. | Exod. XV, 10.  | III, 587.    |
| III, 4.        | - III, 558. | 16.            | III, 589.    |
| 16.            | - III, 559. | XX, 15.        | III, 590.    |
| IV, 7.         | - III, 561. | Lev. XIV, 8.   | III, 591.    |
| 8.             | - III, 565. | XXV, 25.       | III, 597.    |
| 13.            | ibid.       | XL, 9.         | III, 594.    |
| VI, 2.         | III, 566.   | 12.            | III, 596.    |
| VIII, 17.      | III, 567.   | Nam. XIV, 42.  | II, 265.     |
| XV, 2.         | II, 329.    | Deut. VIII, 7. | II, 425.     |
| 11.            | III, 568.   | Jof. V, 13 15. | II, 368.     |
| XX, 4.         | III, 569.   | XIII, 3.       | II, 434.     |
| XXI, 20.       | III, 571.   | XXIII, 14.     | II, 332.     |
| XXIV, 63.      | ibid.       | Jud. VIII, 28. | I, 172.      |
| XXVII, 40.     | III, 573.   |                | & 185.       |
| 42.            | III, 575.   | VII, 16-20.    | II, 251 ſq.  |
| 46.            | III, 577.   | 5-6.           | II, 285.     |
| XXXIV, 31.     | III, 579.   | 18.            | II, 288.     |
| XLI, 43.       | ibid.       | 1 Reg. II, 2.  | II, 332.     |
| XLIX, 6.       | III, 583.   | Pſalm. CXV,    | III, 544 ſq. |
| Exod. VIII, 8. | III, 585.   | CXVI.          | III, 546.    |
| XIV, 19 20.    | II, 264.    | CXXIII, 2.     | II, 332.     |
|                |             | Fff            | Ecc.         |



) (



|                  |             |                  |             |
|------------------|-------------|------------------|-------------|
| Eccl. I, 7.      | II, 427.    | Luc. XXII, 13.   | I, 239.     |
| Jef. XXIX, 21.   | I, 195.     | 22.              | II, 334.    |
| LIII, 3.         | I, 213.     | Joh. II, 15.     | II, 316.    |
| Sirac. XXX, 21.  | II, 332.    | Aët. II, 42.     | I, 199.     |
| 2 Maccab. XI, 5. | II, 319.    | 46.              | I, 204.     |
| Matth. V, 6.     | II, 304.    | VI, 9.           | III, 520.   |
| VI, 23.          | I, 188.     | VII, 53.         | I, 205.     |
| VII, 6.          | I, 189.     | XVII, 28.        | III, 528.   |
| XV, 5 6.         | I, 190.     | XXII, 3.         | III, 534.   |
| XVI, 18.         | I, 191.     | Rom. VII, 6.     | I, 206.     |
| XXIII, 27.       | IV, 619.    | 23.              | ibid.       |
| XXVI, 19.        | I, 227 sq.  | VIII, 4.         | I, 207.     |
| 30.              | I, 282.     | XII, 6.          | I, 208.     |
| XXVII, 54.       | IV, 675.    | XIV, 5.          | I, 209.     |
| Marc. VI, 5.     | II, 370.    | 1 Cor. III, 15.  | ibid.       |
| XIV, 16.         | I, 239.     | XI, 10.          | I, 211.     |
| Luc. VIII, 14.   | I, 192.     | XV, 23.          | II, 217.    |
| XI, 3.           | I, 193.     |                  | & III, 528. |
| 24-26.           | I, 194.     | Tit. I, 12.      | ibid.       |
| 44.              | IV, 619.    | 1 Petr. III, 19. | I, 192.     |
| XVI,             | II, 334 sq. | 2 Petr. II, 20.  | I, 197.     |
| 8.               | I, 197.     | Jac. I, 11.      | I, 193.     |
| 9.               | I, 198.     |                  |             |

## INDEX II.


Vocum & Phrasium Hebr. Chald.

Syr. Arab. &c.

|                   |   |           |
|-------------------|---|-----------|
| אברך              | - | III, 579. |
| אחרית הימים       | - | II, 362.  |
| אמר               | - | III, 565. |
| ב & ב redundantia |   | III, 567. |
| בני עלמא          |   | II, 355.  |
| דרך קשת & דרך     |   | I, 233.   |
| אגם & הום         |   | III, 594. |

הרשענא





) (



|                 |                         |
|-----------------|-------------------------|
| הושענא          | II, 235.                |
| הלך             | II, 329.                |
| in ר mutatur    | III, 597.               |
| ואבי            | II, 492. 495.           |
| יאר             | II, 418.                |
| כס & כבס        | III, 591.               |
| כר              | II, 290.                |
| כס הברכה        | II, 283.                |
| menfura כור     | II, 378.                |
| כסא דהללה       | II, 283.                |
| לפיד , לפד      | II, 291.                |
| מכא מכך , מכ    | III, 597.               |
| מטמנים & מטמן   | II, 382.                |
| ממן             | ibid.                   |
| מרצה            | IV, 616.                |
| משל & משל       | III, 564.               |
| נזיל & נזל      | II, 420.                |
| נחל מצרים , נחל | II, 405 sq.             |
| נחם & נחם       | III, 576.               |
| נשא             | III, 563. 566.          |
| נשב             | III, 569.               |
| נבן             | III, 533.               |
| סנפר            | III, 595.               |
| עיסור סופרים    | II, 492.                |
| עיש & עי        | II, 483. 492. 497. 502. |
| פרות & פרי      | III, 595.               |
| ציו             | IV, 616.                |
| קוצ & קוצ       | III, 577.               |
| קרב & קרב       | III, 569.               |

F ff 2

קן

|                |                |
|----------------|----------------|
| קר             | IV, 716.       |
| קשקשה          | III, 594.      |
| ראה            | III, 566. 590. |
| ראה & ראה      | III, 566.      |
| רבה            | III, 571.      |
| רבص & רבץ      | III, 563.      |
| רז             | III, 573.      |
| רחץ            | III, 591.      |
| ר mutatur in ר | III, 597.      |
| ساح & שוח      | III, 571.      |
| שיחור          | II, 434.       |
| شحيير & شحي    | ibid.          |
| شوق            | III, 559.      |
| תשוקה          | ibid.          |

## INDEX III.

### Vocum & Phrasium Græcarum.

|                                                 |             |
|-------------------------------------------------|-------------|
| ἄδης quid significet.                           | IV, 687 sq. |
| ἀναρέπειν pro ἀνατρέφειν.                       | II, 316.    |
| ἁπλώσας.                                        | II, 302.    |
| ἄσκη.                                           | II, 302.    |
| ἀφαιρέομαι.                                     | II, 373.    |
| βιάζομαι.                                       | III, 450.   |
| βλεπειν εἰς ἄλλας χεῖρας quænam sit<br>phrasis? | II, 329.    |
| γενεὰ quid significet?                          | II, 357.    |
| δεῖνα, nunquam usurpatur sine<br>articulo.      | I, 276.     |
| ὁ δεῖνα                                         | I, 278.     |
| διαβιάζομαι.                                    | II, 368.    |

Διασκορ-






|                                                   |                  |
|---------------------------------------------------|------------------|
| Διασκορπίζειν.                                    | II, 368.         |
| Διαλαγή idem est quod διάταξις.                   | I, 205.          |
| Διψάν cum accusativo.                             | II, 305.         |
| Δυναδάμ varium habet sensum.                      | II, 370.         |
| Εγκαναχέομαι.                                     | II, 269.         |
| Εκλείπειν.                                        | I, 198. II, 385. |
| Εν παντί γενέσθαι defenditur.                     | II, 303.         |
| Επίσιος ἄβλος.                                    | I, 194.          |
| Ἐτοιμάζειν το πάχος.                              | I, 231 sq.       |
| Κεραία.                                           | III, 456.        |
| Κρίνω.                                            | I, 209.          |
| Λόγος pro computatione arithmetica.               | II, 370.         |
| Μεθίστημι & μετᾶσθαι.                             | II, 375.         |
| Οδυνάσθαι emphasis.                               | IV, 699.         |
| Οὐδὲ πύρφορος ἐλείφθη proverbium unde?            | II, 256.         |
| Πενᾶν cum accusativo.                             | II, 305.         |
| Πονηρός radicem habet πόνω, ægroto.               | I, 188.          |
| Πορεύεσθαι eleganter sumitur de morte.            | II, 329.         |
| Πύρφορος, quid denotet.                           | II, 252.         |
| Πύρφορος εἰδὲ ἐλείφθη.                            | II, 256.         |
| Σαμβαθεῖον denotat synagogam & vocis hujus origo. | IV, 613.         |
| ῥμεῖν quid significet.                            | I, 282.          |
| Φρυγῶναι & Φρυγῶναι.                              | II, 260.         |

Eff 3

IN-



## INDEX IV.


### Personarum & rerum memorabilium.

#### A.

- Ablatio Scribarum. III, 492.  
Accentuum auctor an fuerit Esra. III, 480.  
Ægyptus quasnam regiones comprehenderit. II, 459.  
Agobardus (S.) contra imaginum cultum II, 323.  
Alciphronis ἀπλώσεις ponderatur. II, 302.  
Alexandri Monachi verba de Diocletiano & Maximiano Herculeo II, 306.  
Alexandriæ laus. III, 513.  
Almoni de ultima Servatoris cœna. I, 226.  
Alytarchæ Antiochiæ quænam sit denominatio; II, 307.  
Ambitionis excusatio. I, 64.  
Anonymi Specimen Observationum Sacrarum. II, 301 sq.  
Antiochus Epiphanes dedit anfam versionis Græcæ Prophetarum II, 470.  
Antiquitas codicis msp̃ti non semper est annotanda & ad eam provocandum. III, 475.  
Apices non appinxit Esra Codici S. III, 467.  
Apollo Tarsensium Numen. III, 507.  
Apophthegmata in maledicos. I, 63.

Arz





)(



Aræ veteri lingua Romana *anfæ*  
dictæ sunt IV, 746.

Ares aut Arifch non fuit Oſtraci-  
ne, II, 473. ſed vel eadem  
cum Rhinocorura, vel in e-  
jus confiniis ſita II, 487.

Arnon non fuit fluvius, ſed torrens. II, 430.

Aſylum unde dictum? IV, 784.

Athenagoræ ἀνξην defenditur. II, 302.

Athenæ unde dictæ? III, 512.

Auctoris ignari & altercantis de-  
ſcriptio. I, 220.

Auguſtus non dicendus puer, ſed  
juvenis. I, 5. Non fuit cru-  
delis. I, 11 ſq. Nec ca-  
lumniator. I, 1 ſq. Auguſtus  
non periit fraudibus Livix: I, 30.

Aulander contra Almoni I, 20.

### B.

Baraterii iudicium contra R. Benja-  
minem IV, 607.

Batos eſt meſura quædam liqui-  
dorum II, 378.

Baylius impurus ſcriptor. I, 120 ſq.

R. Benjaminis Tudelenſis testi-  
monia de ſynagogis Jud. prope ſe-  
pulchra. IV, 604. Contra  
quem Wolfius iudicia collegit  
& Baraterius IV, 607.

Bethſuræ ſitus. II, 320.

Bos (L.) defenditur ad Joh. XI, 15. II, 316.

F ff 4

Bru-



Bruno Italus laudes Diaboli dixit  
Witteberga. I, 71.

Busta vocata sunt templa Gentili-  
um à primis Christianis. IV, 636.

C.

Canis è Nilo, proverbium unde? II, 285.

Cantica priorum Christianorum. I, 204.

Capellus ineptis Criticis annu-  
meratur. III, 462.

Chronologia Evang. Paschatis ultimi. I, 249.

Cilices male audientes commenda-  
runt se studio literarum elegan-  
tiorum. III, 505.

Cilicismi Paulini. III, 540.

Cipporum Hebræorum Auctoris  
testimonia de synagogis Jud.  
propè sepulchra. IV, 604.

Claudius Taurinensis contra simu-  
lakra. II, 323.

Clavi crucis dominicæ utrum ahe-  
nei an ferrei fuerint? II, 309.

Codices antiqui interdum vitiose  
descripti fuere. III, 474.

Conchis utebantur ante tubarum  
inventionem. II, 267.

Constructio Hebraica incerta. III, 477.

Contradicere quando liceat scriptori? I, 219.


Cornua aræ tabernaculi & templi. IV, 713 sq.

Cornu salutis cur Messias dicatur. IV, 790.

Corus fuit quædam aridorum  
mensura. II, 378.

Crina-





)(



Crinagoræ epigramma explicatur. II, 320.  
 Criticum qualem esse oporteat? III, 461.

## D.

Deina (Philol.) de ultima Christi  
 cœna. I, 227. Descriptio igno-  
 bilis hujus auctoris. I, 220.

Dictum Titi memorabile de Hie-  
 rosolymis expugnatis II, 386.

Diocletianus Imperator fuit Aly-  
 tarcha Antiochiæ. II, 308.

Dionis Casii ἐν παντὶ γυνέσθαι defen-  
 ditur. II, 303.

Dionysides, poëta tragicus Tar-  
 sensis, secundum Strabonem. III, 518.

Dius Fidius & jusjurandum per  
 illum IV, 639 sq.

Driesfenii explicatio parabola de  
 divite epulone. II, 349.

## E.

Emendationes Scribarum culpan-  
 tur. III, 489 sq.

Epha fuit mensura quædam arido-  
 rum. II, 378.

Ephron semel sine scriptum, & cur? III, 471

Epigramma Crinagoræ explicatur. II, 320.

Epigrammatis in Hermaphrodi-  
 tum auctor quis? II, 311.

Epigramma in Philol. Deina. I, 292.

Esra non restituit Codicem S. ex col-  
 latione plurium codicum. III,  
 464. Nec substravit puncta vo-  
 calia.

Fff 5

calia.



calia. III, 466. Nec apices ad-  
pinxit. sq. An fuerit Autor ac-  
centum Hebr. III, 481.

### F.

Februarius mensis unde nomen ac-  
ceperit? IV, 637.

Fidei vocis origo. IV, 643. 659.

Fideles primæ œconomix non obtu-  
lerunt hostias piaculares. IV, 749.

Filii Lucis quinam sint, & quid de-  
nominatio illa significet? II, 353.

Fines terræ promissæ non fuerunt ad  
Nilum, verum utique ad Eu-  
phratem. II, 403.

Flumina cur cornuta pingantur? IV, 722.

Fragmenti commentariorum ad E-  
vangelia auctor, an fuerit Theo-  
philus, Antiochiæ Episcopus? II, 347.

Funccii (Joh. Nic.) Dissert. de con-  
suetudine veterum Romano-  
rum per filium Dei jurandi. IV, 639 sqq.

### G.

Gladius Jehovæ & Gideonis fuit in-  
star tesseræ militaris. II, 298.

Græci interpretes converterunt  
quædam contra veritatem. III, 499 sq.

Gruneri (Joh. Rod.) Disquisitio de  
cornubus aræ tabernaculi &  
templi IV, 713 sqq.

Gudius (G. F.) de ultima Servatoris  
cœna. I, 225.

### H.






## H.

- Harenbergii (Jo. Chr.) Expositio  
 Cap. XIV. Luca. Sectio I. de  
 villico dissoluto. II, 334 sq.  
 - - - Sectio II. de iis, quæ utrique  
 parabolæ sunt interjecta. III, 437 sq.  
 - - - Sect. III. de divite epulone. IV, 675 sq.  
 Havemanni (Chr.) Hyle ex scriptis  
 Judæorum, ad Criticam Sacram  
 spectans. III, 461 sq.  
 Hebraica Lingua est primæva. III, 470.  
 Heisen (Henr.) Contin. Diss. Poster.  
 de imperat. majestate, à primis  
 hist. Aug. conditoribus indignis-  
 sime habita. I, 1 sqq.  
 Herculis nomen derivatur à Germ.  
 vocibus *Herr* & *Keule* IV, 668.  
 Hermogenes, Tarsensis cives. III, 519.  
 Hieronymi error, urbem Ares fu-  
 isse Ostracinen. I, 473.  
 Honestiora verba an in SS. sint ad-  
 hibenda. III, 497.

## I.

- Jani Diaconi de Villa Nova Chro-  
 nol. judicium Hebr. I, 168 sq.  
 Ignis præferebatur olim in præliis.  
 II, 253. Ejus usus in castris. II,  
 258. Persarum Reges sibi præ-  
 ferri curabant. II, 261. Quod  
 dein Romani imitati sunt. ib.  
 Ignis usus bellicus ortus à co-  
 lumna Nubis & Ignis. II, 264.  
 Ikenii



) (



Ikenii (Conr.) Epistola de gemina li-  
te sibi intentata. I, 218 sqq.

- - - Adstructio sententia suæ de  
finibus terræ promissæ, & ad Cl.  
Millii objectiones responsio. II, 388 sqq.

Interpres Græci quædam contra  
veritatem converterunt. III, 499 sq.

Josephi descriptio effœminati agmi-  
nis Gideonis. II, 287.

Mai filii Jehudæ verba notatu digna  
de constructione Hebraica in-  
certa. III, 477.

Judæ Gaulonitæ sententia de tribu-  
to Romanis negando. II, 379.

Judices Hebr. respondent Dictaro-  
ribus Rom. I, 170.

Juramentorum quorundam ethni-  
corum explicatio. IV, 640 sq.

# K.

Keri & Kethif vestigia antiqua. III,  
475. Origo illorum est humana. III, 477.

Kessleri (Joh. Jac.) Conject. de Oc-  
caf. & Auctore Psalmi CXV. III, 544 sqq.

# L.


Lamii sententia de Pauli eruditione. III, 542.  
Lazarus unde dictus? IV, 680.

Lectiones duplices jam antiquis  
temporibus exstiterunt, III, 475.  
Sed originem ducunt humanam. III, 476.

Lette (Ger. Jo.) Observationes in V.  
T. Loca. III, 558 sqq.

Litteræ in Codice Hebræo præteror-  
dina-





dinaria; suspensa, inversa &c.

unde sint, & quid significant? III, 487 sq.

Lucerna Minervæ Athenis perpetuo  
ardebat.

III, 512.

Lucis filii appellati Judæi, & quare? II, 353.

M.

Masora judicatur inutilis.

III, 483 sq.

Maximianus Hercules fuit Alytar-  
cha Antiochiæ.

II, 308.

Me Dius Fidius, jusjurandum Gen-  
tilium.

IV, 641 sq.

Mensis Februarius unde nomen ac-  
ceperit?

IV, 637.

Michaëlis (Jo. Georg.) Exercitat.  
de artibus Gideonis in debellan-  
dis hostibus.

II, 249. sq.

- - - de Judæorum Synagogis pro-  
pe sepulchra.

IV, 599 sq.

Minerva Tarfensium dea.

III, 507.

Mosis sepulchrum cur fuerit à Deo  
occultatum?

IV, 623.

Musica vis in animos hominum.

II, 281.

N.

Neronis Laudes. I, 73 sqq. Defen-  
ditur contra loca quædam Suc-  
tonii. 82 sq. De incestu ejus  
dubitatur. 85 sq. Cur occiderit  
Senecam?

I, 96 sq.

Nilus unde nomen acceperit? II,

419 sqq. Non est rivus ille,

qui dicitur coram Ægypto. II, 405 sqq.

O.



## O.

- Oeconomus quis dicatur? II, 358.  
 Oratoris sacri in exponenda Scriptura Sacra officia. II, 343.  
 Ostracine non est urbs Arifch. II, 473.

## P.

- Panegyricus in Diabolum. I, 71.  
 Parabolas cur Christus adhibuerit? II, 336.  
 Paschatis ultimi Chronologia. I, 449 sq.  
 Paulus an fuerit Tarsensis? III, 524. Ejus vita juvenilis & eruditio. III, 526.  
 Peloni contra Almoni. I, 227.  
 Persarum Reges ignem sibi praeferrere curarunt. II, 261.  
 Philologus Deina de ultima coena Servatoris. I, 227.  
 Platoniorum & Judaeorum de animis separatim similes sententiae. IV, 691 sq.  
 Pocockii (Rich.) Sententia de torrente Aegypti. II, 391.  
 Pomponii Melae derivatio nominis Nili ponderatur. II, 419.  
 Posse dicimur vario sensu. II, 370.  
 Praelectionis quorundam locorum V. T. à Judaeis petita exemplum, & de eo judicium. III, 493 sq.  
 Prudens quis dicatur? II, 356.  
 Pseudonymum agere quando liceat? I, 229.  
 Publicanos cur Judaei adeo averfati fuerint? II, 379.  
 Pudor praeposterus in verbis quaesitus. III, 498.  
 Puncta quadam cur literis Hebraicis superscripta inveniantur? III, 473. Vocalia non initium sumserunt temporibus Esrae. III, 467.  
 Purgatorium Pontificiorum destruitur. IV, 696 sq.

## R.

- Raschii sententia de Esra Codicis S. restauratore. III, 463.  
 Ravii diatribae de synagoga laudatur. III, 470.  
 Rhinocorura est vel eadem cum urbe Arifch, vel in ejus confiniis sita. II, 487.  
 Romanorum ritus ignem praeferrendi à Persis acceptus. II, 261.

## S.





# S.

- Schmidius (Joh. Andr.) histor. laud. I, 166.  
 Schminkii (J. H. Dill. de Wenceslao laud. ibid.  
 Schœnus quid significet? II, 319.  
 Scribæ qualis honos officiumque apud Judæos fuerit? III, 468.  
 Seneca cur occisus fuerit a Nerone? I, 96 sqq.  
 Sepulchra Judæis impura habita. IV, 615.  
 Sichor non fuit nomen proprium, sed appellat. II, 434.  
 Simonius (Rich.) ineptis criticis annumeratur. III, 462.  
 Sol non est sedes damnatorum. IV, 700.  
 Spenceri sententia de usu Cornuum Altaris examinatur. IV, 755 sqq.  
 Steck (Joh. Rod.) Observat. in N. T. I, 188 sqq.  
 Stephanephori sacerdotes. III, 538.  
 Strabonis laus Tarsensium. III, 509.  
 Suetonius calumniator Augusti. I, 2. Turpis & spurcus scriptor. I, 116 sq. Quare ejus historia ad nostra tempora pervenit? I, 129.  
 Synagogarum institutio. IV, 601. Utilitas. sq.  
 Locus prope sepulcra 604. Religiosi actus in illis. IV, 626 sqq.

# T.

- Tarsensium Numina, Jupiter, Hercules, Apollo Minerva &c. III, 507.  
 Templi gentilium unde originem traxerint. IV, 635.  
 Theanthrophilus contra Almoni. I, 227.  
 Theophilus Antiochiæ Episcopus. II, 347.  
 Tiberii laudes. I, 31. Num fuerit nugarum amans? I, 37. Ejusd. apophtegma in maledicos. I, 63.  
 Ambitio ejus excusatur. I, 64.  
 Tikkun Sopherim culpatur. III, 489 sqq.  
 Titi laus & defensio I, 110 sqq. Memorabile dictum de Hierosolymis expugnatis. II, 386.  
 Torrens quid proprie sit? II, 409 sqq. Torrens Egypti non fuit Nilus II, 407. Nec brachium Nili II, 437. Torrens apud Rhinocoruram vindicatur. II, 478.

Tri-

Tributum cur Pharisei Romanis negaverint. II, 379.  
 Tubarum inventor Tyrrhenus. II, 273. Usus in  
 bello. II, 276 sqq. Tubæ confectæ ex cornu  
 arietino. II, 292.  
 Tyrrhenorum gens a quo nomen acceperit. II, 273.

## V.


Valerii Flacci locus explicatur. II, 412.  
 Versionis Græcæ Prophetarum occasio. II, 470.  
 Vespasianus num fuerit avarus? I, 107 sqq.  
 Villalpandi sententia de usu cornuum Altaris  
 refutatur. IV, 750 sqq.  
 Villicus, quid vox significet? II, 372.  
 Vitæ terminus temporibus Judicum fuit 100.  
 annorum. I, 173.  
 Vosius (II.) annumeratur criticis ineptis. III, 463.

## W.

Willeramii paraphrasis Cantici Cant. II, 314.  
 Wolfii (J. Chr.) collectio judiciorum contra  
 R. Benjaminem. IV, 607.

## Z.

Zeibichii (Car. Henr.) Dissert. de Tarso. III, 504 sqq.



## EMENDANDA.


p. 85. lin. 4. didebanrur l. dicebantur  
 88. 15 babere l. habere  
 91. 15 ubiumque l. ubicumque  
 103. 25 interuncius l. internuncius  
 107. 15 verifimilitudinem l. verisimilitudinem  
 252. 24 solæ l. foli  
 267. 3 αὐτοχρησία l. αὐτοχρησία  
 4 matrimonium l. matrimonio  
 398. 13 Lemmertano l. Lemmerano  
 405. 15, 16 & 26. על פני l. לפני  
 413. 3 me l. ne  
 426. 24 ipsâ cet. l. ipsi Nili inundationibus im-  
 prægnatæ  
 460. 9 Thin l. Sin vel Thin  
 489. 11 in quibusd. exemplar. pro misera l. mira.

\* \*

\* \*

\* \*









Af 2546

ULB Halle  
006 360 394

3




KB 18

m. c.







# SYMBOLÆ LITERARIÆ

AD  
INCREMENTUM  
SCIENTIARUM OMNE GENUS

A  
VARIIS AMICE COLLATÆ,  
TOMI TERTII  
PARS IV.



BREMÆ

Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.  
Anno MDCCXLIX.